RESPONSA
SEU
CONSILIA
PRÆSTANTIUM
MEDICINÆ DOCTORUM
De Morbo
QUI CARD. A. M. QUIRINUM
Per quinque, & amplius menses lectulo affixum detinuit.

BRIXIÆ.

Ex Typographia Joannis-Mariæ Rizzardi.

MDCCL.

SUPERIORUM PERMISSU.

AD LECTOREM.

QUæ me impulerint causæ ad vulganda medicæ artis Consilia de morbo, quo tentatus superiori æstate per quinque, & amplius menses in lecto decubui, ut statim, bone Lector, intelligas, ajo, tres illas fuisse; primam scilicet egregia ejusdem artis præcepta, & instituta, quæ ibidem continentur; alteram vero desiderium grati animi testificandi erga eos Viros Clarissimos, quorum cura meas ad manus Consilia illa pervenerunt; tertiam tandem laudes, quas divinæ bonitati debeo, quod toto eo temporis cursu invictum mihi animum præstiterit adversus terrificas Medicorum, aliorumque seu suspiciones, seu sententias. De binis prioribus causis haud opus est, ut aliquid hoc loco dicam, nam utriusque momenta abunde patefacient seu præstantissima Consilia illa, seu amicissimæ Eruditorum literæ, quas iisdem inserendas putavi. Ut au-

tem æque clare tertia innotescat, ea in medium afferam, quæ palam demonstrent, me divina, quam dixi, bonitate fretum, quum æquo procliviores Medicos experirer ad impingendam morbo illi meo Scorbutici pathematis infamiam, adeo eorundem dictis non acquievisse, ut verbis, & scriptis acriter contendere non destiterim, me infamiæ illius prorsus expertem, ex solo externo infimarum partium vitio lectulo affigi. Afferam, inquam, excribendo scilicet quæ de eodem morbo literis mandavi in Commentariorum meorum Opella, præmissa tamen morbi, paris omnino indolis, qui me ante septennium affecit, brevi narratione Præfationis loco apposita Epistolæ meæ ad Clariss. Mazochium, quæ penultima est Decadis secundæ: „Cum superioribus diebus le-„ctulo, qui me adhuc detinet, æger „decumberem, haud parum recrea-„tus sum literis tuis, quibus loca quæ-„dam

„dam adnotasti ex Majoribus Prophe-
„tis, quemadmodum a Te fieri ante
„binos menses postulaveram, ut ea
„cum præstantissimo Chisiano Codi-
„ce, cujus Tibi specimen transmiseram,
„conferrem. Quoniam vero morbi mei
„ratio, gravis quanquam plerisque pas-
„sim omnibus humane ad me invisen-
„dum ventitantibus censeretur, leviuſ-
„cula tamen mihi videbatur, quod ni-
„hil prorsus seu stomachi, seu pecto-
„ris, seu capitis integritati officeret, sed
„tota quanta foret, in extrema sinistri
„pedis parte, & in dentium extimis
„consisteret; hinc factum est, ut decu-
„bitus iste meus nulla ratione moratus
„fuerit diligentiam illam, quam in
„iis locis conferendis me adhibiturum
„Tibi pollicitus fueram, eamque ad-
„hibui statim ac literas ad Ant. Franc.
„Gorium absolvi, quas pariter lectulo
„jacens exaraveram. Priusquam au-
„tem meæ illius diligentiæ rationem
„Tibi reddam, haud abnuam maxi-

„mam a me socordiam admissam fa-
„teri, unde *prima mali labes*, nam
„hyemali hac tempestate de more an-
„telucanis horis e cubili ad libros con-
„volans, reliquum quidem corpus ve-
„stibus satis apte communio, at pedes
„omni præsidio nudatos ut plurimum
„incaute, ne dicam inclementer, relin-
„quo, quos propterea nocturnum fri-
„gus, & soli humiditas vellicant sub-
„inde, ac mordent, eaque facile in ipsis,
„quin & aliis corporis partibus, vitia
„gignunt, cujuscemodi expertus sum
„& modo, & alias. Horum tamen
„imposterum me omnino, Deo juvan-
„te, expertem futurum confido; nam
„præteritis damnis tandem edoctus,
„sedulo cavebo, ne studiorum volup-
„tate illectus, ea imprudens negligam,
„*Queis humana sibi doleat natura negatis*.

Venio nunc ad recitandos binos Commentariorum meorum locos. In Lib. I. P. II. p. 103. hæc prodidi „Quanti „modo faciam Viri hujus (Mazochii) „eru-

„eruditionem, testantur plures mea-
„rum Decadum literæ ad eum datæ.
„Unas ex istis, nempe penultimas De-
„cadis secundæ, hoc loco memorandi
„ansam mihi tradit par ægritudo, qua,
„dum ista imprimuntur, detineor, ac
„illa, qua detinebar, dum easdem,
„quemadmodum ibidem prodidi, Ro-
„mæ exararem, incommoda scilicet
„affectio in extremis pedum partibus,
„profecta quidem ante sex, & amplius
„annos ex socordia a me admissa in
„studiis vacando per aliquot horas an-
„telucanas hiberna tempestate, pedi-
„bus calceorum præsidio nudatis; con-
„tra vero orta ipsa in præsens est ex i-
„gne, cui studiis pariter vacans per
„septem integros menses (nam toti-
„dem hyems hoc anno perduravit)
„assedi, pedibus ursina pelle undique
„convolutis, ac proinde ex hujus, &
„ignis calfactu sensim, ut ajunt, sine
„sensu veluti adustis, atque concoctis
„eorundem malleolis, quæ pars dam-

„nis ejusmodi facile obnoxia est ex
„mollium fibrarum, nervulorumque
„frequentia, unde contexitur. Ea vero
„parte sive ex frigore, sive ex humi-
„ditate, sive ex calore vitiata, nil mi-
„rum, si turbato inde humorum cur-
„su totum etiam corpus incommodo
„afficiatur. Vitium autem illud, que-
„madmodum olim, ita nunc quoque
„nil minus quam spasmum progignit,
„siquidem læsam eam partem corpo-
„ris onere gravari contingat. Sin vero
„ista lecto affixa jacere sinatur, morbi,
„quo urgetur, significationem ullam
„vix prodit. Faxit Deus, ut præsens mea
„ista ægritudo, prioris instar, sola ejus-
„dem lectuli quiete, hacque a literariis
„occupationibus nunquam dissociata,
„evanescat. Maximam utique erga me
„Dei ipsius bonitatem in hoc etiam
„agnosco, quod eo morbo me teneri
„permittat, cui neque dolor, neque
„tædium conjungatur. Ægrotanti ni-
„hil optabilius hujuscemodi felicitate;
„dum

„dum contra nil levius vitæ usura per „aliquot adhuc annos protracta, præ- „sertim, *Condita cum tibi sit jam septua-* „*gesima messis*.

Ejusdem autem Voluminis p. 180. ita scriptum reliqui: „ Dum in eo „sum, ut Caput istud, omniaque pro- „inde quæ ad Innocentii XIII. Pon- „tificatum attinent, concludam, en „Brixiam accedit Paulus nepos meus, „gravissimo profecto magistratu In- „quisitoris a Patria insignitus, eoque „non in hac tantum urbe, sed in aliis „etiam Veneti Continentis exercendo. „Cursum suum huc recta intendit, „magnopere anxius valetudinis meæ „statum propriis oculis explorandi, „medicasque Consultationes, quas Ve- „netiis a præstantissimis Professoribus „sibi tradi curaverat, in medium af- „ferendi. Hæ omnes tendebant ad „morbi, quem scorbutum vocant, cura- „tionem. Ingressus autem ad me, con- „festim exclamavit, paratum se esse

„ad

„ad Consultationes illas concerpendas,
„seu comburendas, nam omnino ve-
„getum, & alacrem me invenit, nul-
„lumque adesse in toto meo corpore,
„ut ita dicam, nævum, unde morbi
„genus illud sese proderet; non cru-
„rum, aut gingivarum putredinem,
„non pusularum eruptiones, non ha-
„litus graveolentiam, non inflationem
„membrorum. Miratus ergo summo-
„pere est, adeo falso Venetiis dissemi-
„natum fuisse me de morbo illo ten-
„tari. Affirmavi ego, non aliam fuisse
„morbi mei indolem, quam eam, cujus
„descriptioni locum feceram in Parte
„hac secunda mei Commentarii p. 103.
„& sq. addidique deinde, ex applica-
„tis lacteis balneis ante paucos dies
„pedum extremitati, ob immodicum
„pellis ursinæ, & ignis calorem vitia-
„tæ, seu adustæ, ut ibidem exposui,
„partem illam molliorem jam effe-
„ctam procul a se propulsasse tumo-
„rem, maculas, & spicula illa, quæ
„sub-

„ſubinde mediocrem quidem dolo-
„rem, at ingentem moleſtiam mihi,
„præſertim dormienti, exhibebant.
„Quod ſpectat ad gingivas, ſubjunxi,
„nullam in iis putrem materiam coa-
„cervâtam unquam fuiſſe, ſed intu-
„muiſſe ipſas tantummodo, idque ex
„dentium jamdiu vitioſorum labefa-
„ctione, ac proinde ab eodem tumore
„liberam, ac prorſus integram ſemper
„manſiſſe earundem partem multo
„majorem, quæ dentibus deſtituere-
„tur, cui profecto ſcorbuti ſcabies nul-
„lo modo pepercıſſet. Nil dico de ca-
„pite, de pectore, de viſceribus, de
„ſtomacho, de venarum pulſu, nam
„iſta omnia æque valent, ac dum be-
„ne ſanus pedibus meis inſiſto. Cur
„autem iidem officium ſuum facere
„nondum incipiant, ac proinde lecto
„in præſens, ut antea, affixus ma-
„neam, unica cauſa eſt ipſorum col-
„lum, quod, dum arcto adhuc velu-
„ti compede devincitur, ferendæ cor-
„poris

„poris moli ineptum omnino ſe exhi-
„bet, adeo ut illud gravando non do-
„lore tantum contabeſcerem, ſed ſpaſ-
„mo deficerem. Atque hic quidem
„morbi mei ſtatus eſt, dum abſolutis
„narrationibus ad Innoc. XIII. tempus
„ſpectantibus, jam jam ingredior ad
„eas contexendas, quæ Benedicti XIII.
„beneficentiſſimam erga me volunta-
„tem patefacient, quamque ſanctiſſi-
„mum eundem Pontificem mihi e cęlo
„pariter, quo, ut ſperare juvat, potitur,
„exhibiturum ad morbi ejuſdem reli-
„quias omnino depellendas, ac profli-
„gandas confido. De hac tamen re ejus
„opem non deprecor, niſi ſanitatis re-
„cuperatæ beneficium ad æternam ani-
„mæ ſalutem lucrifaciendam emolu-
„mentum aliquod afferre mihi poſſe,
„divino lumine colluſtratus intelligat.

Ultimo loco placet recitare ſchedulam illam, quam præſertim ob oculos habuerunt Medicinæ Doctores, quorum Conſilia libellus hic meus com-

complectitur. Ea hujusmodi est: „Ela-
„bitur quintus jam mensis, ex quo af-
„figit me lectulo dura compes ita de-
„vinciens crurum meorum extremam
„partem, ut iisdem insistere omnino
„prohibear, & contra conari si velim,
„discrucier, imo deficiam. Compa-
„rent præterea in iisdem cruribus par-
„tim crocei, partim violacei coloris
„maculæ quædam, præsertim prope
„malleolos, atque in hisce tumor etiam
„levis assurgit. Gingivas pariter inva-
„sit, primo tamen dumtaxat, & altero
„mei decubitus mense, inflatio, quin
„laceratio quædam, intacta manente
„ea unice parte, quæ dentibus vacat. In
„præsens, a tribus scilicet hebdomadis,
„musculus, tendo, & nervus calcaneo
„adhærentes in primis tentantur, at-
„que adeo obduruerunt, ut absque spas-
„mate fas mihi non sit pedem ad cal-
„candum solum extra lectulum ponere.
„Vitia omnia hujusmodi nemini
„dubium esse potest ex sanguinis aco-
„re

„re, ſeu acrimonia proficiſci, cujus a-
„pertum indicium bilis haud raro ex-
„cremenris ſuffuſa. Verumtamen ea
„vitia, Deo favente, tanti non ſunt,
„ut valetudinis meæ integritati offi-
„ciant. Quare bene valet caput, be-
„ne pectus, bene ſtomachus, nulla
„unquam febris acceſſit, vaco prorſus
„a dolore, vultui ineſt color ſincerus,
„demum, hoc maxime tempore, ceu
„omnino ſanus dormio, & comedo;
„literariis autem occupationibus, aliiſ-
„que meis muneribus ita horis omni-
„bus alacriter, & vegete me dedo, ut
„omnes agnoſcant, & fateantur, me
„nunquam magis negotioſum fuiſſe,
„quam poſtquam ægroti ſpeciem præ-
„bens, cubilis quieti, & otio me tradidi.

„Hinc intra illos quinque menſes
„alterum Commentariorum meorum
„Tomum abſolvi, tertiuſque quam ci-
„to ad umbilicum & ipſe perducetur.
„Tomo illo altero p. 103. ſeq. pariter-
„que p. 181. & ſeq. morbi hujuſce mei
„na-

„naturam descripsi; at fallus utique „sum, calorem causando seu ignis, cui „proxime præterito hyeme per septem „fere menses immotus quodammodo „assedi, seu pellis ursinæ, quæ, dum „calefierem ad eundem, una simul pe„des meos involvebat; nam morbi e„jusdem pertinacia errorem istum mo„do condemnat. Verissime tamen pri„mo loco scripsi, *Maximam Dei erga me „in hoc etiam benignitatem agnosco, quod eo „morbo me teneri permittat, cui neque dolor, „neque tædium conjungatur. Ægrotanti nihil „optabilius felicitate hujuscemodi, dum con„tra nil levius vitæ usura per aliquot an„nos protracta, præsertim, Condita cum ti„bi sit jam septuagesima messis.*

Unum superest, Lector, cujus certiorem te faciam, adeo scilicet inanes fuisse horrendas illas Scorbutici sceleris, quod mihi crudele canebant Medici, suspiciones, ut superiori mense Decembri, dum hyems omnino rigeret, volupe mihi fuerit pluribus quo-

tidie

tidie horis per vias quaquaversus nivibus coopertas post meridiem usque ad vesperam animi causa equitare. Quid vero, si præterea noveris Romanum iter jam jam esse a me ineundum primis, qui modo excurrunt, Februarii mensis diebus, crastina nimirum, unde exordium capiet sacræ Quadragesimæ jejunium? Vocat me ad Almam eam Urbem Ecclesiastica momenti gravissimi causa humeris meis a patrio Senatu imposita, cui muneri intrepide ut satisfaciam, ob oculos mihi ponere constitui S. Hilarii Metropolitæ Arelatensis exemplum, quem legimus haud dispari ex causa Romam profectum fuisse, nihil veritum *hyemis* (ita loquitur S. Honoratus ejus Vitæ Scriptor) *asperitatem, Alpium stridores, & frigora, vitrea glacialis crustæ spicula*. At S. Hilarius novem dumtaxat eo tempore exegerat lustra, mihi vero, *Condita jam est, &c.* Vale.

RES-

RESPONSA
SEU
CONSILIA MEDICORUM.

VENEZIA.
Confulto del Sig. Gio: Battifta Grandi Medico Fifico Anatomico.

In Lettera fcritta a S. E. il Sig. Paolo Querini.

OBbedifco immediatamente al pregievoliffimo onore, cui l'E. V. fi compiace di deftinarmi, col produrre l' umile mio fentimento fovra allo fconcerto di fanità, di cui ricevo la ftoria, quanto chiara, ed efatta in ciò, che efpone, altrettanto fcarfa d' alcuni lumi, li quali ficcome porgerebbero nozioni utiliffime dell' età, temperamento, e reggimento di vita nel Soggetto, di cui fi tratta, così mi prefenterebbero occafione di delineare con più accertate mire l'idea del male, e di maneggiare con più fermezza la direzion della cura.

Ciò non pertanto riconofco dalla riftretta relazione, che leggo, effere ftato il nobiliffimo Paziente da molti anni a quefta parte probabilmente marcato di fegni non equivoci d'una affezione, che nei primi fuoi albòri farà ftata Ipocondriaca, come è folito d' accadere alle Perfone dedite eftraor-

dinariamente alle Lettere, e ciò per quella indispensabile debolezza, che nello stomaco, e nelle potestà digestive introduce la dissipazion dello spirito fatta colle diuturne applicazioni, come Cornelio Celso coll' aurea sua penna chiaramente descrisse... *quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi litterarum sunt*.. la qual debolezza è la radice rimota sì, ma certissima di tal viziosa affezione. Cotesta prodigalità in disperdere quel sottilissimo liquore, che alberga dentro ai nervi per le forti, e non interrotte meditazioni, quando mai si congiunga a veementi patemi d'animo, verifica la sagace proposizione dell' immortal nostro Ippocrate.. *Humanorum morborum radix est caput, ex eoque maximi adveniunt morbi*.. Da cotesto primo disordine dello stomaco, e del liquor nervale, che spesse volte non esclude la compagnia d' una sufficiente appetenza, si è introdotta a poco a poco con insensibili, ma sicuri progressi nel liquido del sangue, e della linfa una ridondanza di schemi salini di vario genere, che agitati, ruotati, e lanciati dalla correntìa del sangue, e dall' impulso delle potenze propellenti in molti luoghi del corpo, ma più espressamente in quelli, che sono o più deboli, o più atti a riceverne le impressioni, producono dolori, enfiature, macchie, ero-
sioni,

ſioni, e ſomiglianti effetti, come appunto ſi leggono nel letteratiſſimo noſtro Soggetto. La ſurriferita ſalina diſcraſia in circoſtanze ſomiglievoli ottiene da' Prattici il nome di Scorbutica, sì perchè le affezioni Ipocondriache vanno poi a terminare in coteſta aberrazione di ſanità, come avvertirono dopo Ippocrate li Medici più illuminati; sì perchè le macchie nei piedi, l'enfiature, e dolori nei medeſimi là, dove la Tibia, e la Fibula nell'inferior loro parte ſi articolano, come pure le marche nelle Gingive di quando in quando appariſcenti, vengono con evidenza a dichiararla.

Le verità, che quivi ſono, ſebbene in profilo, adombrate, ſono però anche ſufficientiſſime di renderſi coſpicue ad una mente, quale è quella del noſtro Infermo, ſapientiſſima, capace per ſe medeſima di ſviluppare le verità più recondite dai ſemi ſteſſi delle medeſime. Le verità, diſſi, quivi adombrate non ſolo ci dinotano il male, qual ſia, ma ci indicano ancora, qual egli ſarà; imperciocchè, ſmontando appoco appoco l'appetito, il ſonno facendoſi più breve, e più leggiero, il pericolo di ſpaſimare per il dolore, che recherebbe il camminare sù de' ſuoi piedi, protraendoſi per qualche tempo, apparendo tumidità ſenſibile di quando in quando nelle Gengive, e mante-

nendosi alimento all' insaziabilità dello studio colle arcane scientifiche meditazioni, s'andrà per conseguenza stemprando viepiù il liquore nervale, dimagrando il rispettabilissimo Soggetto, li sughi acquisteranno sempre più genio di lentore, e di pigrizia, e le qualità loro rendendosi più efficacemente pungenti, ed aspre, oltre all' accrescimento de' correnti incomodi, Dio non voglia, che non sia forse anche per svilupparsi una febbricola, stabile, e solida, come sogliono i Medici nominarla, e quale può appunto ha da temersi minacciata in una età decrescente. Certo è, che il giacere omai da due mesi perpetuamente nel letto, ed il tenere il Corpo, e la maggior parte delle di lui macchine muscolari, e senza moto, ed inoperose, quando ciò proseguisse a succedere per lungo tempo ancora, non potrà non produrre gli effetti della decadenza dell' appetito, o della scarsezza nel sonno, o dell' impoverimento nella nodritura; al che se si aggiunga sfioramento di spirito per le indeficienti applicazioni alli studj, oltre alle qualità già ree, in lui impresse da molto tempo, deve con somma probabilità, e a passi lenti l'Infermo discendere negli indicati, gravissimi infortunj, quando non vi si opponga.

Per ciò dunque impedire, o almeno per isce-

iſcemare coteſto azardo, ſarebbe l' umiliſſimo mio ſentimento dalla Chirurgìa non altro prendere, che alcune fomente applicate alli luoghi dolenti con piante antiſcorbutiche aſſieme, e dolcemente aleſſifarmache (ſebbene non manchi ora il Bachſtrom in Olanda, che in un ſuo trattatello dello Scorbuto ſoſtiene tutte le piante, purchè verdi, e recenti, eſſere alla rinfuſa Antiſcorbutiche) inzuppando nella lor decozione caricata alcune ſpugne ben larghe, indi dette ſpugne fortemente ſpremute, e ſoltanto fumanti appoggiando all' enfiate parti de' piedi per aſſottigliare il lento, per rimuover l' acre, e per aſſodare alcun poco l' infiacchite articolazioni. Così alle tumide Gingive buona giudicherei qualche lavanda, che odori d' Antiſcorbutico mite. Sarei pur di parere, che s' armi lo ſtomaco con qualche coſa di corroborante, in che lo Cerotto di Norimberga potrebbe almen meritare qualche rifleſſione. Per ora niun' altro ajuto può ſomminiſtrarci tal' arte, che eſſendo felice più nel togliere, che nell' aggiungere, non fa per il caſo, di cui ſi tratta; mentre coll' inſegnamento del ſovralodato Celſo, dico fermamente, che . . *Ut quod vel corporis, vel loci, vel ſtudii ratio detrahit, cura reſtituat.*

La Chimica, e la Farmacia pure in tal

caſo, e per il meſchino mio voto poco hanno a contribuire colle loro celebri, e pompoſe preparazioni, che promettono molto più di quello, che attendano; bensì la natura cogli innocenti ſuoi prodotti ha di che provvedermi in tal congiuntura. Crederei adunque, che gentilmente mondate le prime vie, foſſe aſſai bene di far uſo di tre oncie del ſugo di Siſimbrio acquatico con altrettanto latte d' aſinella in ogni mattina collo ſtomaco digiuno; e ciò per quaranta, e più giorni occorrendo, volendo, che foſſe la mineſtra del mattino un ſugolo cotto nel latte colla farina del Frumentone, o ſia detta dal volgo Farina gialla. Poi, dopo tal uſo, una qualche coſa tratta dalla Vipera, ſarà a mio credere aſſai ragionevole, ſia poi, o la di lei carne, o la polvere, o un brodo, o un gelo, a piacere. La ſola avvertenza ſia nella quantità, che dovrà eſſere non generoſa, e nella maniera di maritarla, ſe così ſi creda bene, a qualche poco di carne dimagrata di Vitello giovane, o ad un quarto di Pollo tenue, o di Teſtuggine terreſtre. Ho pure oſſervato, in caſi non diverſi da queſto, molto ſalubre l' uſo del latte Vaccino, allungato con aggiuſtata porzione d' una leggiera decozione della ſalſa pariglia, a tenore dello ſtato dello ſtomaco, che dee valerſene. Sò, che della Vipera,

ra, e della falsapariglia alcuni ingegni sublimi, e da me riputatissimi, non ne hanno stima, giudicandole per lo meno inutili, per non dire nocive. Io però, senza punto mancare di quella profonda venerazione, in cui tengo il loro nome, e le loro luminose sentenze, venero assieme le ragioni, che alcuni altri in favore di simili ajuti propongono, e molto dono all' osservazione, ed alla pratica fedele, ed antica Maestra, abbenchè talvolta oscura, nella cura dei mali, e però mi sia lecito di affermare, che se la storia del male, datami a leggere, non è mancante nelle necessarie circostanze, e non è fallace, li rimedj umiliati spererei, che non fossero fuor di proposito, nè disparati dal caso. Circa alla varietà dell' aria da mutarsi, e pensare un poco alla nativa, o almeno ad una, che fosse alcun poco simile alla nativa; circa alla natura degli alimenti, e della bevanda, e circa al moderare l' uso del Caffè, se fosse eccessivo, e circa al moto da procurarsi, ed agli studj gravi, ed incessanti da intermettersi ad ogni costo, non ho ardire di produr cosa alcuna; poichè nulla sfuggirà dalle accorte pupille di tutti que' valent' Uomini, che da vicino hanno l' onore di servire all' Infermo.

Quindi certa rimane, ed inalterabile la mia protesta, per conclusione di quanto ho

ſcritto, cioè, che io ſottopongo queſta mia mal concia, ed in fretta, fra molti imbarazzi della Profeſſione mia, sbozzata opinione, acciò gli illuſtri, gli accreditati, e per tutta l' Europa noti, Profeſſori, che preſiedono alla cuſtodia di vita cotanto prezioſa, mutino, tolgano, o aggiungano quanto lor piace di ciò, ch' io mi ho quì dato l' onore di pronunciare.

VENEZIA.

Conſulto del Sig. Dott. Leonardo Doro Medico Fiſico.

LI fenomeni, che tutti a un dipreſſo concorrono a ſtabilire l'idea del principale incomodo in Sua Eminenza, ſignificano un carattere in qualche modo ſcorbutico, ſe ſi riſguarda la craſi de' fluidi, e poca elaſticità, o quaſi ſtonamento de' ſolidi, e fibra, all' or quando ſi voglia calcolare giuſtamente l' improbe, ed indefeſſe applicazioni, e li ſtudj pel corſo di tant'anni in Sua Eminenza glorioſamente ſoſtenuti, onde ſi debba agevolmente, e con tutta ragione conchiudere, e gl' uni, e gl' altri, li primi viſcoſi, ed acri, ſpoſſati, e in qualche modo ſcaduti dalla naturale, ed ordinaria laſticità li ſecondi, che coſtituiſcono tutta la machina in Sua Eminenza. Non credo già, che per dar re-

gola

gola a codeste due cagioni, che son' elleno le più germane, e ragionevoli, la più sicura, e salutare, che imprender si possa, sia se non se quella d'addolcire, invogliere, e combattere con cauto, e saggio modo l'esordio scorbutico con il latte, che per scegliere fra tutti il migliore sarà quel di somara prendendolo per lungo tempo, quando riescire gli possa conferente, e che dalli gastrici sughi non sia disturbato, di modocchè felicemente vaglia montare nel sangue senza recargliene alcuna ingiuria, di quelle che contrasegnan l'infelicità del passaggio, e la consegna nel sangue; avvertimenti tutti di cui l'Eminenza Sua verrà avisata dalli Professori che hanno il grand'onore di servirlo. Che se poi il latte di somara non potesse essere tolerato dallo stomaco, si potrebbe tentare quello di capra; e se ancor questo avesse sinistro l'incontro, mi troverei persuaso di consigliare S. Em. intraprendere la dieta lattea, e soltanto alimentarsi di solo latte d'armenta più pieno, colla metodo seguente:

Che nella mattina a digiuno ne prendesse oncie dieci sottili con il ciocolato, cinque ore in distanza, le fosse allestite quattr'oncie di riso, bollito prima nell'acqua a giusta cottura, indi cavato asciuto dall'acqua, fatto finire di cuocere in oncie sei, alla sottile, di latte; alla sera poi sei ore lungi dal riso

cotto,

cotto, le fosse fatto un brodettino con un torlo d'ovo fresco, aggiungendovi quattro fettuccie di pane, che le regger potesse S. E. a questa metodo gliela prometterei di sommo vantaggio, e profitto; che se poi a così rigorosa dieta S. Em. non potesse resistere, potrebbe ordinarsi ad ora di pranzo la metà d'una polastrella cotta in metà acqua, e metà latte, e mangiare la metà della detta, e nel medesimo brodo prenderà la minestra di riso.

Se S. Em. fosse per accomodarsi, e li Professori ancora, che hanno l'onore di servirlo, fossero persuasi d'un stillato, tratto dalle seguenti cose ardirei di proporlo; e sarebbe, di prendere trenta libre, a peso sottile, di latte d'armenta, due libre di succo di crescione, o sia nasturzio acquatico, tre di succo spremuto dalla beccabunga, una, e mezza di succo cavato dall'acetosella, ed una spremuto dall'eruca gentile, dieci aranzi di Portogallo, o di Messina, tagliato lo scorzo minuto, e levato il succo; una libra, e mezza di cassia cheirina, cavate le corteccie, e pista grossamente; vi farei a tutto ciò aggiungere carne di vipera femmina oncie quattro, e tutto ciò posto nel latte fatto distillare a bagno maria, e di questo distillato farne prendere una libra a peso sottile quattr'ore prima del pranzo, ovvero due prima di cena

na, che per mio debole parere riputerei rimedio molto ragionevole, efficace, e proficuo agl'incomodi di S.E., che pieno d'osſequio, e di riſpetto le bacio proſtrato la ſacra Porpora.

BERGAMUM.

D. Andrea Paſta
Phyſic. Coll.

VEhementer doleo, Eminentiſſimum Principem, lecto a quinque menſibus affixum ex pedibus laborare, nec iiſdem poſſe ſine acerbiſſimo dolore inſiſtere, animique deliquio. Gingivarum tumor primis morbi menſibus ad dentes exortus, maculæque in cruribus partim crocei, partim violacei coloris apparentes, aut retardatum in minimis vaſculis fluidorum motum, aut ortam acrimoniam quodammodo ſcorbuticam, aut utrumque vitium ſubeſſe teſtantur. Nec ſane ulli dubium eſſe poteſt, quin tot tantaque negotia, tot ſummæ, atque incredibiles occupationes, quibus Cardinalis Ampliſſimus etiam nunc vel in lecto aliis ad quietem dato aſſidue diſtinetur, fluidorum motum in cerebri vaſis adaugeant, in iis vero quæ ad ventriculum atque inteſtina feruntur, imminuant, ut nec facile mutari cibus, nec concoqui poſſit. Hinc bilioſis de-

je-

jectionibus fertur alvus, excrementa redundant in corpore, acres ſucci per arterias ad crura permanant, qui minimorum vaſculorum tunicas erodendo maculas in cute excitant, alias quidem flaveſcentes, alias violaceas ex effuſo ſanguine.

Sed ex pravis cibi concoctionibus craſſiores itidem ſucci gignuntur, qui arteriarum maxillarium extremitates obturando gingivas attollere, inflammare, atque diſrumpere valuerunt, quorum pars quoque ad crura delata, inque eorundem vaſis longo fortaſſe ignis calore exſiccatis, irretita adeo muſculorum Tarſi fibras infarcit, ut cum primum eædem ad muſcularem motum obeundum novis ſuccis implentur, ſtatim quammaxime diſtrahantur dolore intolerabili; quandoquidem Chorda magna, in qua quidem durities, atque adeo morbi ſedes deprehenditur, doloris ſenſu prædita eſt haud exiguo, eademque vulnerata febres vidit Hippocrates natas convulſivas, & ſingultuoſas.

Non redibit igitur naturalis Tarſi motus & firmitas, niſi reſtituta muſcularibus fibris naturali capacitate, poſitione, laxitate, motu, robore, morboſis ſuccis ex fibrarum ſinu detruſis, attenuatis craſſioribus, aſperioribus retuſis, dilutis aduſtis, quieſcentibus in motum actis. Quamobrem fovendi erunt pedes

pedes bis die spongia, quæ in calidam aquam demittatur, in qua altheæ radix decocta sit, adjectis sambuci, verbasci, & meliloti floribus, linique, & fœnugræci seminibus. Si nihil sic proficitur, unctionibus lenibus utendum erit, adhibita seu Gherlii unctione, seu, quod longe efficacius est, oleo, quod communiter *pro convulsis* nuncupatur. Præstabit quoque ad laxandas fibras vapore animalis recens mactati pedes fovere, superimpositis gallinis recens scissis, aut cuniculis, aut agrestibus columbis; nisi enim tendinum fibræ obcalluerint, aut humores albuginei, qui testante Albino *bursas* inflant tendinibus substratas, induruerint, confido ac mihi persuadeo remedium hocce, in quo diu erit permanendum, fore levamento Eminentissimo Principi; præsertim si ei boli dentur ex terebinthina cruda, pulvereque foliorum cocleariæ subacta, bini mane, & bini vespere dormituro, ad magnitudinem fabæ, aquæ cyathum superbibendo, in qua decocta sit radix chinæ, & salseparillæ. Equidem omni asseveratione affirmare ausim, me nullum adhuc præstantius invenisse remedium ad podagricos, scorbuticosque discutiendos tumores terebinthina non cocta, nec lota, si diu sumatur; quippe fibrarum capacitates mire detergit, crassiores humores attenuat, alvum sæpe laxat, aut blan-

blande urinas ciet; nec unquam dolores movet; nec ſtomachum, aut vires lædit; & niſi ſemper ſalutariter, innoxie tamen ſumi conſuevit.

Hæc ſunt, quæ pro ſalute talis & tanti Principis meditabar, quem ad Romanæ Eccleſiæ gloriam adaugendam, & Rempublicam literariam illuſtrandam, probus quiſque brevi ſanum e lecto ſurgere, & cuimdiutiſſime vivere, vehementer excptat.

BOLOGNA.

Del Sig. Dott. J. B. Beccari

In Lettera

Al P. D. G. Gualb. Beccari Abate della Badìa di Firenze.

QUanto mi è ſtato coſa grata il vedere la traſmeſſami relazione, altrettanto mi è diſpiaciuto, che il Soggetto ne ſia quel medeſimo Perſonaggio, che l'ha ſcritta con tanta eleganza, ed eſattezza. Ella è afflitta, perchè un Signore che fà tant'onore alla Chieſa di Dio, alla ſua Religione, e a codeſto Monaſtero ſia così travagliato: e io non lo ſon meno di Lei per altri titoli, che riguardan noi più da vicino. Egli è gran fautore de' noſtri ſtudj, liberaliſſimo benefattore di queſto Inſtituto, a cui mandò non gran tempo le Opere ſue, e finalmente il maggiore ornameuto della noſtra Accademia,

mia, a cui benignamente acconsentì d'essere ascritto. Laonde può Ella comprendere qual disturbo mi rechi la sua indisposizione; la quale per altro lasciando intere le principali funzioni, e illese le viscere, ci giova sperare che non sia per tirar dietro se altra peggior conseguenza. La descrizione del male non potrebb' esser fatta da uno della professione con maggiore giustezza, ma quel che è più, non si potrebbe più giustamente pensare intorno la sua cagione. Tutti i vizj ch' ei descrive hanno origine, dic'Egli, *ex sanguinis acore*. Se ad alcuno paresse troppo il determinarsi ad un' acidità, egli dalla spezie si riduce al genere con quell' avvedutissimo *seu acrimonia*, e di tale acrimonia porta un indizio, che veramente merita l'epiteto *apertum*, ed è la bile osservata negli escrementi. La stessa ritenutezza nel caratterizzare il principio suo morboso apparisce dall' aver Egli accennate le macchie parte gialle, parte violette, l' enfiaggione delle gingive, anzi qualche lacerazione delle medesime, il tumore presso i malleoli, e gli spasimi che insorgono ai movimenti delle gambe, ma non aver poi neppur nominato quel che altri avrebbero forse asserito francamente. Con meno si condannano i poveri Infermi ad essere scorbutici, giacchè presso d' alcuni questo male d'endemio de' paesi

si Settentrionali è divenuto familiare a i nostri. Ma quanto errino costoro l'esito ce'l dimostra tutto giorno, poichè codesti pretesi Scorbutici vivono lungamente senza ulterior progresso degl' incomodi loro. Mi figuro che i Medici a' quali è toccato l'onore di servire l' E. S. avranno pensato a scieglière fra i rimedj temperanti quelli che più direttamente s'appongono a quella tale acrimonia che pecca in codesto Signore. Io le dirò quel che anni sono mi fece pur bene in un caso affatto simile a questo. Il latte inviperato mi guarì una Donna, ch' era ben d'altro temperamento, e d'altra maniera ridotta a tenersi in letto per dolori attrocissimi, e impotenza di reggersi sulle gambe, che non è il nostro Infermo. Sicchè ella vede, che quando si colpisse nel segno, il male potrebbe cedere in Lui similmente. Mi perdoni se mi son diffuso, e se per poco l'ho fatta da Medico, io che per altro il fo sì mal volentieri. Attribuisca ciò al desiderio che ho della salute di sì degno Porporato, e all' interesse che ho di darle nella maniera ch' io posso qualche consolazione. La ringrazio delle finezze usate al Signor Pozzi me ne ringraziò il Padre grandemente. In altra più a lungo, poichè questa è lunga di troppo. Io sono &c.

BONONIA.

D. D. Gusm. Galeazzi, Petri Paul. Molinelli, & Josephi Azzoguidi, Med. Doctorum.

HActenus acrimonia, quam Eminentissimus, ac Literatissimus Princeps pro caussa ejus morbi, a quo menses jam quinque laborat, justissime agnoscit in ea, quam de eodem ipsemet dilucide, & eleganter conscripsit, historia, hactenus, inquam, extremis cruribus omnis insedit. Quamvis enim biliosum humorem sive sollicitet, sive alia ratione inficiat, tamen neque reliquum corpus afficit, neque valetudinis obest integritati.

Quum autem mala crurum affectio, & gengivarum tumor, & laceratio aliqua simul cæperint, præterea maculæ comparuerint in iisdem cruribus partim crocei, partim violacei coloris; non sine aliquo tumore ad malleolos, & post hæc magni tendines calcaneis adhærentes ita obduruerint, ut stare pedibus, & firmare se sine spasmate omnino non sinant, his concurrentibus, memoratam acrimoniam ad scorbuticam referri posse opinamur.

In has porro inferiores partes factus est cursus, & impetus morbi, sive quia harum aliquæ hujus sedes non raro esse consueverunt, sive etiam suapte natura, quæ quod intus

læsurum erat, illud utiliter effudit; quædam enim sunt, quæ simul & affligunt corpus, & parte aliqua tuentur. Hoc vero si unicum esset, atque extremum in morbo, non admodum ægre sustineas, sed alia quoque timeri possunt; non quod necesse quidem sit, ut accedant, sed quod aliquando soleant. In eam siquidem partem magis id malum incumbere potest; & quid si vehemens in pedibus dolor, qui se movere conantem dumtaxat excruciat, immoto etiam, atque sedenti deinceps fortasse non parcet? Quid si humor scorbuticus vagus, & fluens simul reliquum corpus afficere incipiat, & venarum, & viscerum, aliarumque partium substantiæ impactus inhæreat?

Sed inter hæc proposito metu spes tamen superest. Iis enim adhuc non premitur Eminentissimus Princeps, quæ in morbo terrifica esse dicimus, neque auxilia medicamentorum, quæ ab periculo tutum præstare possunt, expertus est.

Sequitur curatio, quæ anti-scorbuticis, & lacte perfici recte poterit: Ergo anti-scorbuticæ ex paribus portionibus succi concreti nasturtii aquatici, & fumariæ parabuntur; lac vero sit asinæ, ab exigua dosi aliquot unciarum incipiendo, alternis diebus adjiciendo, donec ad justum modum perveniat.

Ubi

Ubi per mensem hæc data sunt, si nihilo magis malum consistat, præcipuum in hoc casu petendum non a medicamentis solum antiscorbuticis, sed a lactea, ut vocant, diæta, præsidium est. Si non ferat, commodissimum erit caudas cancrorum fluviatilium mundatas cum carne vitulina B. M. excoquere, addita viperæ montanæ tertia parte; eoque medicamento etiam per mensem utendum est, non neglectis præterea liquoribus ex succis plantarum anti-scorbuticarum destillatis.

Hic ordo primæ curationis esse potest. Sed si sic etiam parum proficitur, quum vetustum id malum sit, & in senili corpore, impactaque materies subsistat ad tendines, eosque jam obduratos, sintque tendines exanguis substantiæ, ad quam neque vasa sanguinea majora, neque vis medicamentorum facile pervenit, validioribus auxiliis opus est; ergo tum confugiendum ad decocta ex salsa parilla, & stibio crudo præparata, adjectis sub finem ebullitionis herbis anti-scorbuticis.

Verumtamen cum omnes ejusmodi affectiones vix citra artefactam exulcerationem aut finiri queant, aut loco saltem moveri, ultimum est, & satis efficax phlebotomo fonticulum supra genu aperire, qui, si minus respondeat, tres, aut quatuor post men-

ses tuto dimitti potest, & claudi.

Præter hæc non alienum erit fovere extrema crura iis, quæ sic reprimant, ut emolliant, & solvant, nempe lacte decocto ex verbena, nasturtio aquatico, floribus sambuci, camomillæ, adjecto croco, & sapone Veneto puriori.

Interea ita alendus est Ægrotus, ut sustinere spatium longissimi morbi possit; nam ante, & post lacteam diætam & avis, & venatio, & vitulina elixa tuto dari potest, sed cavere oportet, ne inutilis materia corpori, quod non movetur, supersit: alvus si compressa, ducenda, sed idipsum in senili corpore, & scorbutico moliri cibo, aut clystere simplici, quam medicamento, melius est. Potio sine vino aquæ calidæ, in qua flavedo malorum aurantiorum leviter efferbuerit, aut in qua radix chinæ dulcis incocta sit: Haustus tamen vini Canariensis optimi, quicquid prandio assumpsit, includat.

Juvat paulatim ad exercitationes revertere. Ergo manu gestari debet, deinde vehiculo: pedes quantum fieri potest, obiiciat labori, moveat, si potest, per se, si minus, per alium, & vi quadam, & quanta sustinere sine dolore potest, ad consuetudinem suam reducat: Si id incidit, prodest, ut in plerisque vetustis morbis, loca, cœlum, cibos subinde mutare, circumcisa omni nego-

go-

gotiosa cogitatione, & scriptione laboriosa. Quamvis enim hactenus, quæ a Principe viro longe doctissimo per multa volumina, perque magnæ contentionis disquisitiones tractata sunt, atque tractantur, bonæ valetudini non admodum visa fuerint obfuisse, seque egroti speciem tantummodo præbentem impigrum, atque alacrem sentiat, & magis quam antea negotiosum, tamen hoc ætatis flexu, hoc incursante morbo periclitari amplius non oportet, sed Literariis lucubrationibus parcendum, ut quod vel corporis, vel morbi, vel studii ratio detraxit, cura restituat, aut saltem ne in hac tolerabili satis adhuc valetudine, magis adversæ præsidia consumantur.

FIRENZE.

Del Sig. Dott. Antonio Cocchi P.P. Anatom.

In Lettera

del P. D. Pier Luigi Galletti Lett. nella Badìa di Firenze.

NOn posso esprimere a V. Em. quale e quanto sia stato il dispiacere che i Reverendissimi Beccari, e della Torre han concepito per la pertinacia di quel malore che la molesta. Quest' oggi i medesimi Reverendissimi ed io ci siamo portati dal Sig. Cocchi, Medico com' Ella sà celeberrimo, ed avendo questi letto la descrizione del suo

male ci ha in buona parte consolato, assicurandoci, che di esso può V. Em. con molta facilità risanarsi facendo più uso de' Vegetabili particolarmente acetosi, che de' cibi untuosi e sostanziosi, di maniera che se potesse Ella per alquanti giorni contenersi nel vitto Pittagorico, anche senza escludere i brodi di carne, ne sentirebbe subito un sollievo ben grande. Vuole il Sig. Cocchi che a guarire un male come è il suo un gran rimedio sieno le bevute di acqua col sugo di limone, il masticare fra giorno aranci sugosi. La premura indicibile che è, e dee essere in noi per la lunga conservazione dell' Eminenza Sua, che il mio Reverendissimo fino da jeri ne'pubblici sacrifizj le fà pregare dal Cielo, è quella che ci muove a usare con essa Lei una simile libertà di parlare.

Ho mandato jeri sera il suo foglio al Sig. Cav. Giraldi, che è in villeggiatura, con averlo prima fatto leggere a varj Signori, giusti estimatori del merito di V. Em., i quali tutti sperano, e pregano il Signor Iddio, che faccia loro avere quanto prima ottimi risscontri di sua salute, la quale io per quanto mi dica il cuore, mi aspetto di giorno sentire affatto ristabilita; e baciandole genuflesso la sacra Porpora mi dò l'onore di umilmente confermarmi &c.

LIP-

LIPSIA.

Epiſtola Caroli Friderici Hundertmark Phil. & Med. D. & P.P.E. in Acad. Lipſ. ad Cardin. Quirinum.

Quidquid huc uſque Tuorum Operum ad me transferendum publicis tradidiſti, recte quidem fuit perlatum, & gratias pro ſingulari illa, & plane immerita, clementia ago maximas. Omnia ſemel iterumque perlegi, & ubicumque locorum Summum Quirinum, ſemper ſui ſimilem, & ſe ipſo dignum, inveni. Nunc vero omni Tua opus habeo indulgentia, ut veniam impetrem egregiæ temeritatis. Offero Tibi ſcilicet libellum Academicum, rudiorem illumquidem, minuſque cultum, & Tuo tamen Eminentiſſimo Nomini ſubmiſſime inſcriptum duplici officio a me hac ratione ſatisfactum iri, confido: ut ſit nempe publicum mea in Te ſummæ pietatis & religionis documentum; deinceps, ut, ne mihi ipſi deeſſe videar, & ex Reverendiſſimi Quirini ſumma per omnem terrarum orbem celebritate, maximoque ſplendore tenuiſſimo meo labori auctoritatem concilium, mihi vero ipſi aliquam comparem gloriolam. Accipias itaque leviſſimum hoc munuſculum illudque pro vero devotiſſimi animi teſtimonio habeas: quod, ſi Tibi non omni ex parte diſplicuiſſe, intellexero, cumulum profecto omnibus huc uſque in me clementius collatis

latis beneficiis, a Te esse additum, gratissimus profitebor &c.

Lipsiæ a. d. XV. Aug. MDCCXLIX.

Epistola altera ejusdem ad Eundem.

SUavissimas Tuas litteras, quibus, nostrum qualecumque munusculum, Eminentissimo Tuo Nomini devotissime consecratum, recte perlatum fuisse, humanissime significares, summa cum voluptate accepibus. Gaudemus profecto &c.

Altera e contrario Tua epistola, hoc ante triduo tandem nobis reddita, animum Tibi deditissimum summa maceravit tristitia atque acerbitate, quum ex eadem intelligeremus, debiliori Te uti valetudine, & aliquot jam menses ex pedibus laborare: Sed accessit magnum illius nostri doloris lenimen tum, quod ex morbi historia probe perspecta spes adfulgeat, eumdem haud cito perniciosum esse futurum, immo, licet ob provectiorem ætatem, Te omnino convaliturum, subdubitemus; Tibi tamen maximum, optatissimumque levamen ex medela, morbo recte accommodata esse accessurum, cognitum habeamus atque perspectum. Qualecumque nostrum de morbo, optimaque ejusdem medicina, simul imperas judicium. Accipe itaque idem, Eminentissime Cardinalis, & certissime Tibi persuade, nos summo honori & glo-

ria

ria esse habituros, si tenuissimo nostro consilio & opera Tibi pristinam sanitatem, Ecclesiæ vero, & rei publicæ rerum præsidium, immo adeo toti generi humano maximum ornamentum in Summo Quirino, mortalium dignissimo, reddidisse videremur. Medicamentorum non nihil nos una transmittere, hoc facilius veniam concedes, si quando intellexeris, nos in mitigandis, immo percurandis iis morbis, cujusmodi Te in præsentia vexant illis semper summo cum emolumento esse usos. Vale, & in posterum quoque Tuo Patrocinio atque favore dignari perge.

Lipsiæ a. d. XVIII. Oct. MDCCXLIX.

Consilium ejusdem Authoris.

EA est partium nostri corporis indoles atque natura ut fluidæ in tenera ætate abundent, solidæ sint molliores facillimeque flectantur, illæ crescente ætate diminuantur, hæ augeantur, fiantque rigidiores, illæ tandem senio confectæ adhuc magis dissipentur, exarescant, & relictæ fiant acriores, hæ vero stringantur crispentur, contrahantur. Hæc in primis accidere in hominibus per propriam sui naturam calidioribus siccioribus, biliosis, quibusque vel ab erroribus in diæta vel vehementioribus animi commotionibus, vel per propriam sui corporis indolem, copio-

piosior in ventriculo gignitur cruditas & in intestinis, cujus pars maxima ad sanguinem & lympham translata complures eosdemque vehementiores & varios gignit morbos, constat inter omnes. Ex his præmissis nullo negotio concipies jam, Eminentissime Cardinalis, quæ sit morbi Tui species, undeque potissimum eadem ortum suum traxisse videatur. Septuagesimum jam bono cum Deo superasti annum, & hanc ætatem illam præcipue esse, ubi in homine sicciori calidiorique fluidæ partes vehementius dissipentur, fiant acriores, fibra vero solida e contrario ab iisdem stringatur, corrugetur, arctiusque sibi invicem adplicetur, optime & ipso opere pernosces. En! Tibi proprii corporis indolem atque naturam huic morbo, quo vexaris, in primis obnoxiam, cui ad ipsum illum efficiendum quam plurimum contulit cruditas acrior biliosa, in corpore Tuo copiosius gigni solita. Valetudinis adversæ species itaque est: spasmus musculorum tendinumque pedis habitualis a scorbuto, acrimoniaque biliosa & salsa vehementiori obortus. His Tuos contaminari humores, eademque non tantum arctius infixa inhærere pedum partibus musculosis atque tendineis, spasmumque & rigorem iisdem inducere, sed totum etiam divagari per corpus, feces copiosiori bile frequentius perfusæ, maculæ cro-

crocei violaceique coloris in pedibus, gingivarum tandem inflatio, laceratioque abunde testantur. Nunc de optima, & maxime convenienti methodo qua illis medeamur, dispiciendum. Primo loco internis utendum medicamentis, quæ lenius agant, nullamque vim inferant corpori senio confecto, & per ætatis rationem jam paullo debiliori, quæque simul cruditatem scorbuticam, salsam, biliosam absorbeant, corrigant, & per alvum, lenius & sine ulla virium debilitatione solutam, tum per urinam in primis sensim paullatimque ejiciant, tonum ventriculi intestinorumque roborent atque confirment, ideoque novæ cruditatum generationi officiant. His enumeratis addenda erunt remedia, spasmos delenientia, nervis amica, & ad eorumdem vim & robur conservandum maxime adcommodata. Quod ad primum finem attinet consequendum, nullum profecto novi medicamentum quod citiorem, tutiorem, præstantioremque habeat efficacitatem, quam pulvis gryseus No. 1. insignitus. Hoc primum tantum, siquidem ita visum fuerit, per sex vel octo dies ita uteris, ut singulo mane jejunus, deinceps tribus post prandium horis, tandemque cubitum iturus eam dosim cujus pondus hic habeas adjunctum, aliqua aquæ subcalidæ portione perfusam deglutias, paulloque post vel infusi theæ,

theæ, vel aquæ ſubcalidæ non nihil haurias, aereque fruaris temperate calido. Corpus hoc modo ſine ullo incommodo, ſine ulla virium debilitatione quam leniſſime & ſummo cum levamine a cruditate purgatur, quod hoc melius & præſtantius factum fuiſſe intelliges, ſi feces dejectæ ſingularem acrimoniæ ardentis rodentiſque in ano ſenſum reliquerint. Ut reliqua & interne & externe cum uſu adplicanda nunc adjiciam, tempore præter ſpem atque opinionem excludor, & quum tabellarius citiſſimam harum litterarum dimiſſionem vehementius urgeat, proximus certius certo reliqua Tibi nomine meo eſt adlaturus.

Pars altera ejuſdem Conſilii.

FIdem, quam in ultimis noſtris litteris Tibi obſtrinxeramus, merito liberaturi, noſtrum qualecumque judicium de morbo, quo vexaris, ejuſdemque optima medela liberius Tecum communicare pergemus: id quod a ſingulari Tua comitate & clementia indulgentius iri acceptum, nulli dubitamus. Quæ ſit vera morbi cauſſa atque eſſentia, ex priori intellexiſti epiſtola; illa itaque adhuc pluribus argumentis probanda ſuperſunt, quæ de medicamentis, ore adſumendis, partim externe loco male adfecto
ad-

adplicandis nobis ibidem, commemorabantur. Prius corpus lenius a quavis cruditate purgandum, viscerumque robori deinceps esse prospiciendum, dixi, ne scilicet materia, morbum efficiens, in dies majora capiat incrementa, spasmos augeat, & vitam in majus adducat discrimen. Huic fini consequendo pulverem No. 1. notatum atque transmissum quam maxime inserviturum esse, frequentiori edoctus & confirmatus experientia, liquido adfirmavi Triplicem Te ejusdem singulis diebus sumere dosim, & ejus usum per sex vel octo dies continuare posse dixi; quod ita tamen, velim, accipias, ut, nisi optatum levamen hoc tempore inde fueris adsequutus, tuto eodem adhuc per aliquot dies uti possis; e contrario vero, si jam tertio vel quarto die egregiam impuritatis copiam ex corpore per illum pulverem ejectam esse sentias, vel, si etiam per eumdem alvum frequentius incitari, soluique animadvertas, quam virium ratio commode id ferret (quod tamen haud facile est timendum) jam tertium, vel quartum, post diem ab eodem abstinere, & Te continuo ad tincturæ No. VIII. usum conferre possis: si hoc modo corpus rite purgatum, humorumque inchoata fuerit correctio, hanc Tuo morbo medendi methodum optimam utique esse futuram, omnino confiderem, si

sin

ſingulo mane ſtomacho jejuno lactis aſinini, recens emulſi, & adhuc calidi, portionem, quam ſine ullo incommodo nauſeaque ferret ventriculus, haurires, quarta vero poſt prandium hora guttas LXX. tincturæ. No. VIII. vere balſamicæ atque nervinæ in calido theæ infuſo, vel in aqua ſub calida, adſumeres, & hujus, utriuſvis partem, maxime commodam Tibi viſam, paullo poſt calidam biberes, cubitum vero tandem iturus doſim pulveris No. I. jam cognitam, aqua ſubcalida perfuſam deglutires, hiſque omnibus in commendato ordine per menſis ſpatium uti dignareris. His acrimoniam bilioſam, & ſcorbutico ſalſam ſenſim paullatimque ex corpore ejici, reliquias ejuſdem deleniri, humores corrigi, fibram ſolidam corrugatam, criſpatam, ſpaſmo adſtrictam, quoad fieri poterit per ætatis rationem, remitti, relaxari, ſolvi ſenties, ideoque morbum leniri, ejuſdemque mitigari acerbitatem, ulteriorique ejuſdem obviam iri incremento, procul dubio lætus cognoſces. Licet vero prima morbi cauſſa omnes corporis humores occupare videatur: eadem tamen ſingulatim ad extremas corporis partes tranſlata, ibidemque muſculis, tendinibus, ligamentiſque pedum arctius infixa eſſe obſervatur; Hinc prius commendata medicamenta ore adſumenda, generatim morbi cauſſæ & incremento magna

gna ex parte esse offectura nullo negotio quidem perspicies: facilius tamen adhuc intelliges, cum iisdem externa medicamenta cautius, diligentiusque esse conjungenda, atque in usum vocanda si verum morbi experiri velis levamen. Simul itaque, ac ad usum tincturæ No. VIII. accesseris, ter per septimanam hora dimidia ante, quam cubitum eas, sequenti summo cum emolumenjo uti poteris balneo artificiali. Lacti scilicet vaccino haud adeo pingui, sed magis aquoso herbæ melissæ manipulus unus, saponisque Veneti uncia una incoquuntur, & in hanc, quam calide ferre poteris, decoctionem pedes immittes, ibidemque per horæ ciaciter quadrantem reliuqnes, linteo vero deinceps abstersos manibus medulla, ex crure cerüino exemta, leniorique calore soluta, inunctis lenius tractari atque perfricari præcipies, quibus ita recte perfectis, pedibusque iterum probe abstersis, Te continuo in lectum poteris recipere. Hæc egregie ejusmodi pedum spasmis vehementioribus alias mederi observantur, si tamen præter omnem spem atque opinionem accideret, ut malum tenacius optimis his remediis minus obsequeretur, omnis tandem salutis spes in eo est posita, ut ter quaterve per septimanam abdomini recens mactati animalis, omni calore naturali adhuc persusi, vituli, verrecis &c. pedes, quousque

usque fieri poterit, injicias, eosque ibidem madente illo animali calore demulceri, lenirique patiaris, dum calorem illum naturalem in animante, enecato dissipari animadvertas. Si fortassis lactis asinini usum internum, superius commendatum, plane ferre non posses, ejusdem loco singulo mane guttas XXV. tincturæ nostræ solaris No. X. in infuso theæ summo cum usu haurire poteris. Hujus maximam, immo vere stupendam esse vim atque efficacitatem in nervis tensis leniendis, debilitatisque corroborandis, ipso opere edoctus videbis ut eamdem omnino mireris. Hinc auctor suasorque esse velim, ut eadem, si quando etiam omni ex parte convalueris, tamen ter quaterve per septimanam, in dosi commendata utaris, quippe quo summam ingenii alacritatem conservari, omnes corporis animique vires corroborari, immo vertiginem, nervorumque resolutionis metum, averti, videbis. De victus commoda ratione nihil fere adiiciendum esse putamus, quod sic licet Tua jam sit in eodem maxima moderatio, nisi, ut ab acrius salitorum & conditorum, fumo induratorum, acidorumque usu abstineas vino, aqua perfuso, immo meraco interdum parcius, uti huc usque semper facere consueveras, uti poteris. Prandebis largius, uti appetitus exiget ratio, sed a lautiori omnino absti-

abſtinebis cœna, nihilque præter carnium juſculum probe ſpiſſiuſque percoctum adſumes. Hæc ſunt, Eminentiſſime Cardinalis, quæ Tibi vere ſalutaria eſſe futura, & morbi natura intellecta, & qualicumque mea in arte medica experientia confirmatus arbitror, nihilque vehementius exopto, quam ut iiſdem Tanti Numinis litteratorum tutelaris ſanitas & reficiatur, & per complures adhuc annos integra conſervetur. Summum mihi profecto beneficium a Deo Optimo Maximo conceſſum eſſe pius gratuſque publice profitebor ſimul, ac Te, ſummum Mæcenatem, ſalvum ſoſpitemque meis redditum eſſe votis intellexero. Vale & amare perge.

LIPSIA.

Epiſtola Frid. Ott. Menckenii Conſiliar. Reg. Pol. & Senator. ad Card. Quirinum.

Vehementer me, ut ceteros omnes, quos doctrinæ, ac virtutum Tuarum Lipſia admiratores habes, de valetudine Tua minus proſpera nuntius affligit, nec quiſquam eſt, qui non inæſtimabilem vitam Tuam magna ſua parte redimere lubens velit. Id enim optimus quiſque intelligit, quoad Tibi, Eminentiſſime Domine, integras animi corporiſque vires Deus

Optimus Maximus servaverit, bene, non dicam Ecclesiæ Tuæ, quam velut alter Hercules propugnas, sed literis universim omnibus, futurum, gaudendique de latissimo harum flore nos caussam habituros. Ego vero, qui & innumerabilia Tua in bonas artes, harumque studiosos, merita agnosco, & Tibi pro plurimis beneficiis longe devinctissimum me fateor, hoc majorem, lectis Tuis literis, dolorem concepi, quo certius scio, eo Te animo esse, ut alios omnes, etiam qui dignitate & fortuna longe Te ipso inferiores sunt, & minora orbi commoda præstare solent, salvos incolumesque capias. Feci igitur, quod, qui Tibi toto animo sunt dediti, omnes debent, hominesque artis ejus, quam primus, ut ajunt, Hesculapius docuit, peritissimos circumspexi, per quos, si ipse non possem, ægrotanti Tuo corpori salutaribus remediis prospicerem. In quo satis ne mihi fortuna arriserit, dies me docebit. Inveni certe primarium Urbis nostræ Medicum, non doctum minus, quam felicem, Günzium, qui, recte se statuere de morbi Tui genere, & idoneam proponere medicinam, posse, confideret. Hunc, sui sensa animi in quadam velut tabula explicantem, & sententiæ suæ rationem, si ita videatur, cuilibet redditurum, legas, quæso, Eminentissime Quirine, lectumque & approbatum esse deinde in numero Tuorum patere. Si quid valent penes Superos vota mea, quæ non simulata sunt, sed ardentissima,

Gun-

Günzianis his medicamentis cum præstantissimo fructu uteris, sentiesque re ipsa, posse etiam ab homine profano, aut, si usitatam magis placeat vocabulum, heretico, tale quid proficisci, quod, cujuscunque demum secta homo sit, vehementer Tibi eum commendare, & efficere aliqua ex parte amabilem, possit.

Consilium D. Justi Godofredi Günz Anat., & Chir. Prof. Lipsiensis.

MOrbum, quo Eminentissimus Cardinalis affligitur, non a bilis aliorumve corporis humidorum quocunque vitio provenire, ex omnium partium interiorum, exteriorumque, si a cruribus recedas, functionum integritate patet, quæ cum sanguinis quodam acore, per quinque menses consistere non potuisset. Est potius caussa mali in minimis tubulis, quærenda, qui per cutem atque subjectas in pede extremo partes ducti pertinent ad poros cutis, emittereque tenuiora humida solent. Ad hos enim infirmiores factos destillatio serosi humidi facta est, quod impulsum a corde, arteriisque, neque tamen exitum inveniens, tubulos fibrasque per vices distendit ac vellicat. Idque necesse est maxime tum fieri, quando musculi intenduntur, quibus se nempe turgida vasa opponunt. Neque falsus proinde, Eminentissimus

Cardinalis, olim fuit in hoc, quod nimirum remotiorem morbi cauffam in externo calore posuit, cui solidas humanorum corporum partes maxima laxandi, solvendique earum robur vis inest.

Ex his facile quoque erit, idonea auxilia invenire, quæ præter victus rationem, maximam partem externa erunt. Licebit vero præter pinguia, acria, & calefacientia quæcunque, omnibus alimentis uti, modo temperantia non negligatur, & potus loco, utilissimum erit, aqua potissimum subfrigida uti. Ex medicamentis, quæ intus sumuntur, primo loco Apozema commendo, ex Pulpa Tamarindorum, Cremore Tartari & Rhabarbaro paratum, tam lene, ut quater tantummodo, vel quinquies ad summum deponatur alvus, idque octo vel decem diebus elapsis poterit iterum sumi. Hoc temporis intervallo, tum quoque, post alterum Apozema sumtum, per duas septimanas, medicamentum, exhibendum erit, ex Gummi Ammoniaci & Galbani singulorum drachma una cum semisse, Extracti Cardui benedicti drachmis duabus, & liquoris Terræ foliatæ Tartari unciis tribus factum, cujus cochleare unum singulis diebus bis, vacuo ventriculo, ex aqua sumi debet.

Postquam alvus prima vice subducta fuit, extus pedum lotione singulis diebus, primis duo-

duobus semel, deinde bis vacuo ventriculo, ita utendum est, ut primum egelida aqua, sensim frigida adhibeatur, vel poterit prioribus vicibus, egelida aqua linteis excepta pedibus apponi, tum vero pedes ipsi ad suras usque in frigidam demitti ad dimidiæ horæ spatium. Faciet aqua sudare pedes, reddetque vasculis cutaneis perditum robur, ut solvere humida possint, atque digerere. Quare & corpus, post lotionis usum, quo melius sudent pedes, super lectulum repoponendum erit. Lipsiæ, D. XII. Novembr. A.R.S. MDCCXLIX.

GOTTINGA.

Epistola Jo. Matthias Gesneri
P. Prof. in Acad. Gottingensi
ad Card. Quirinum.

Quas ad d. XXVIII. Augusti, quasque ad d. III. Septembris ad me dedisti literas, eas non minus quam Brixiense illud Diptychon præstantissimi Hagenbuchii ingenio ac doctrina illustratum, recte accepi. Ut autem differrem responsionem, ejus rei causa fuit penes Vandenhackium, nostræ Academiæ eundem Bibliopulam & Typographum, qui hasce aliquot hebdomadas in Lipsiensi mercatu pro more impendit, unde reversum sperabam alacriter hominem, uti promiserat, ad dulcissimos illos de

vita tua, Reverendiss. Princeps, commentarios accessurum. Igitur differre responsionem placuit, dum specimen certe operis eadem ad te possem mittere &c.

Hæc scripseram, Indulgentissime Domine, daturus mox epistolam veredariis cum supervenirent tuæ ad Feverlinum literæ cum illa chartula morbi tui indice, qua varie sane commotus sum; hinc enim dolebat, virum talem, tam sobrium, tam perpetuo vigore dignum, non tamen ab iis rebus esse liberum, quarum ultima a peccatis repetenda origo est: hinc gaudebam, ejusmodi tamen esse morbum, qui adeo non impediret te frui iis, quas maximas delicias arbitrare, adeo non revocet te ab iis studiis, quæ tantum profuere proderuntque reip., quæ, licet gloriæ tuæ jam nihil possint addere, tamen augent numerum tuorum beneficiorum; ut potius te velut cogat inter libellos manere atque literas, & honestissimum tibi tribuat, immo imperet injungatque otium. Itaque si, (quod tamen, quatenus tu nolis, abominor:) carere te cogatur Roma sub anni illius magni ingressum, parum abest quin consolandum te putem illa Ciceronis ad Marium epistola, quæ libri septimi prima est. Illud profecto solatium habiturus es, quod nemo paullo humanior eo tempore Romæ erit, quin vehementer Romæ sacræ & purpuratæ & literatæ ornamentum desideret, & veniendi in urbem causam certe non postremam peris-

periisse tibi queratur. Sed nihil mellius est, quam Socraticas, quin Christianas pro te, Domine, preces interponere, ut illa tibi contingant, quæ cælestis judicio Sapientiæ sint optima. Bene vale, Eminentissime Cardinalis, ut animo, ita, si Deo visum fuerit, etiam pedibus, & dulci sanguine, cujus acorem de quo quereris mirabor nisi mitissima humanitas tua, cum ætate vinorum generosorum modo dulcescens, expugnabit.

Consilium Jo. Jacobi Hulleri Consiliarii, atque Archiatri Regis Sueziæ, & in Collegio quod Cassellis est Carolino Professoris.

EMinentissimi Cardinalis morbus primas radices traxisse videtur a justi liquidorum per systema vasorum abdominalium circuitus turbatione. Illa ipsa fluida deinde moram & stagnationem hinc inde passa sunt, & ab ipsa stagnatione in alienam indolem ac naturam corrupta. Præcipuum vero in hepate vitium latere mihi videtur: quod obscure pressorius & veluti surdus dolor in hypochondrio indicare potest. Sedentaria ergo vita, & illæ eruditæ vigiliæ, quibus applaudit terrarum orbis, & operosa illa in cubiculo quies, originem & fomenta malo videntur præbuisse.

His accessisse undecunque tandem Scorbu-

ticam humorum depravationem arbitror, ut totus morbus, si nomenclaturam medicam quæramus, affectio hypochondriaco-scorbutica dici debeat. Hanc duplicem labem satis indicant maculæ in infimum crus depositæ, inflatio gingivarum ac laceratio, biliosa subinde alvus, & ipsa quoque crurum debilitas. Corrupta porro tenuissimorum fluidorum indoles circa pedum articulos, vicinaque ligamenta atque tendines deposita, in artritidos podagræve dolores exiit.

Salutare autem & lætum erudito orbi omen illud interpretari licet, quod tantum valent fibræ motrices, & totum per corpus fusa vis vitalis, ut dispellere a centro ad extrema possit, quidquid noxium & funestum adeo esse queat, intus si resideat & permixtum sanguini maneat.

Summa curæ in promovendis secretionibus atque excretionibus posita videtur, interpositis mitigantibus & antispasmodicis, cum cauta attentione ad tonum partium: nec parum ad felicem curationem faciet moderata & frequens corporis exercitatio.

Si qua fides medico, minuet gestatio morbum.
Hesperiæ Aonides, manibus gestate Quirinum,
Qui vestris Famaque polum jam transuolat alis.

HAM-

HAMBURGUM.

Epistola Hermanni Samuel. Reimari P. Prof. in Acad. Hamburg. ad Card. Quirinum.

MAgnam mihi sollicitudinem de Valetudine Tua, Cardinalis Eminentissime, nupera Tua epistola injecit. Quanquam enim solatur me plurimum, quod scribis Te cetera recte valere, & dolore juxta ac febri carere, tamen hoc quicquid est incommodi, quod Te in lecto detinet, in hyemem protrahi nolim, quæ sanguinis acrimoniam, totius morbi causam, dilui & corrigi non facile patitur. Quid potus cibusque tenuis, quid decocta lignorum hoc in genere possint, non est quod Tibi commemorem, nec mihi hoc sumo judicium, an vena sectione aut cauterio quodam exhauriri aut derivari humores corrupti possint; si quid vero in Germania Medicis spei ponis, ut videtur, Werlhofium Hannoveranum, aut Bergerum Cellensem, nominare Tibi possum, maxima hic locorum celebritate notos, & illum quidem sapenumero a Regibus atque Electoribus Imperii accitum & consultum. Quanquam tota illa salutaris ars quantulum valet, nisi Deus & melior natura subveniant? Hanc vero in Te sentio firmam & robustam esse, quæ dispellere & excutere per se ipsa acorem possit. Avertat vero summum Numen ne ingravescat morbus,

neve

neve tam Illustris capitis vita, centenis digna annis, intra angustiores terminos carceatur. Commentarium rerum Tuarum recte ad me pervenisse, videbis, ut spero, proxime ex Dione qui ad Te tendit, accessit etiam nuper de Diptico Brixiano epistola Hagenbuchii, viri laude Tua prorsus digni, & omnium omnino studia & ingenia, hoc praesertim in genere, longissime superantis. Utrumque munus hoc adscripsi ceteris Tuis mihi sane charissimis Tui favoris documentis &c. Quod reliquum est, si, quid pia vota pro Tua incolumitate, valetudine, vita, apud Summum rerum humanarum arbitrum possunt, scio confidoque, Te meis inter cetera ardentissimis & sincerissimis salvum & juvenescentem sine mora redditum iri. Vale. Dabam Hamburgi d. XV. Nov. A. MDCCXLIX.

GOTTINGA.

Epistola Jac. Guill. Feverlini Universitatis Georgiae Augustae Magnifici Pro-Rectoris.

EN *Tibi, Domine, Consilium Medicum senioris Facultatis nostrae Medicae, veri Polyhistoris, toties a me promissum, & inter perpetuas ipsius interruptiones heri in forma Epistolii ad me mihi exhibitum. Gratulor Tibi, Eminentissime Princeps, quod talibus consiliis non amplius indiges, gratulor Reip. litterariae*

&

& Ecclesiastica de Tua reconvalescentia, accedo Votis amantissimi Collegæ Richteri, atque a Supremo Numine piis precibus expeto, ut novus hic annus inchoet seriem annorum plurimorum, Tibi, eoque ipso rei sacræ & litterariæ, fortunatissimorum. Tua vero Clementia ut in posterum quoque me dignari velis, submississime rogo. Ad postremas Tuas humanissimas litteras, repetiturus ex parte, quæ interim scripsi, humillime respondeo, accepisse me & Collegas partem secundam Tuæ Biographiæ eadem cum voluptate atque submissa animorum gratitudine ac primam, atque tertiam quartamque vehementissimo desiderio exspectare.

Consilium D. Georgii Gottleb Richter Senioris Facultatis Medicæ Gottingensis Polyhistoris.

GAudet cœtus noster litterarius, ad hujus hodie clavum sedes, Vir magnifice, legum, quibus salus sua continetur, supremam iterum custodiam manibus tuis commissam esse. Illa enim sollicitudo tua, dignitatem ejus ac decus tuendi, primum sub ipsis Academiæ incunabulis, deinde cum paulo confirmatioris ætatis esset, iteratis eximiæ fidei experimentis conspectior, nunc ubi tertium humeros submittis, omnes securos reddit fore, ut res nostras novis præsidiis

ſidiis firmes & a gliſcentibus ſæculi corruptelis ſtrenue aſſeras. Ego certe, qui ad ſapientiam conſiliorum tuorum & perennes eorum ſucceſſus cum plauſu ſemper attendi, in iſta rerum gerendarum peritia ac prudentia pacatiſſimum muſarum noſtrarum ſtatum, in morum tuorum tam ſancta gravitate, quam mira ſuavitas condit, promta civium obſequia, & in iſto doctrinæ apparatu uberes diſcentium profectus ominor, nec metuo, ne quid gaudia noſtra, quibus tam juſte efferimur, corrumpat. Tu vero, Vir Magnifice, qui nunc omnes benemerendi opportunitates tanquam a ſpecula obſervas, diviſis etiam curis fata litterarum, in aliis cultioris Europæ locis, attente reſpicis, an exempla tibi miniſtrent, in quibus ad tutelam ſcientiarum ac ſtabilitatem fortaſſis aliquid novi momenti poſitum ſit. Maxime eorum cauſſa laboras, qui quendam doctrinæ & litterarum principatum tenent, & inter monumenta ære perenniora languentem ſeculi induſtriam accendunt; quorum cum multi non ſint, merito vereris, ne honeſtæ æmulationis fomenta cum ipſis ſenſim intercipiantur, hinc ad eorum pericula tanquam propria contremiſcis. Hæc ſunt illa vincula, quæ excelſas & de publicis commodis ſollicitas animas ſuaviter & tanquam faſcino quodam conjungunt, imo & illos, qui remo-

tiſſi-

tiſſimis locis degunt, ipſiſque ſententiis plurimum diſcrepant, mutua reverentia imbuunt, ſique iis ſiuiſtri aliquid vel læti accidit, in luctus gaudiique communionem vocant. Scio, quam venerabile tibi præ multis nomen ſit Eminentiſſimi Cardinalis A.M. Quirini, qui ut dudum orbem litterarium, qua patet, ſuis meritis, ita & Academiam noſtram amplis eruditionis ſuæ muneribus, teque honorifico litterarum commercio devinxit. In illo faſtigio variæ ſolidæque doctrinæ, quo enixus eſt, metuis ſenium & morbos, quibuſcum confligtari cœpit, & ex Medicinæ interiori ſinu antidoton poſtulas, ne ſalus tibi ac litteris tam chara periclitetur. Ipſe enim licet uſu vitæ aliquot annos potractæ nil levius putet, & tutum ab omni fortunæ impetu portum reſpiciens caſuum humanorum, quibus obnoxii ſumus, patientia vel contemptu robur animi ſui ſuſtentet, occidere tamen nonniſi flebilis poteſt iis, qui tantos litterarum vindices & ſtatores eripi, inter juſtiſſimas publici luctus cauſſas numerant. Abſit diu illætabilis ille nuntius, & incolume emergat ex hoc periculo meritiſſimi Viri Caput! Neque vero hoc ipſum temere oppugnat vis morbi, ſed pedum unice officia ſufflaminans figit induſtriam, vigoremque animi & in occupationibus litterariis alacritatem ab externis obſtaculis ma-

gis

gis liberat. Certe non erat, cur Præsul gravissimus acorem sanguinis ac bilis corruptelam, imo ab his noxam ipsis vitalibus humoribus impressam coarguere t, cum probe sibi constet nobiliorum viscerum functio, capitis, pectoris, ventriculi, sincerus prætere a sit vultui color, somnus placidus, coctio illæsa. Ipse hinc plene diluit Venetorum Medicorum de scorbuto metum, quem querela de gingivis & maculis crurum injicere poterat, quippe primis statim mensibus sopita, & atrociores scorbuti injurias, nec facile satis metuendas, a levibus illis & momentaneis malis, nullo reliquorum symptomatum satellitio, quod scorbuto individuum est, stipatis, ultro discernens. Rara certe hæc est morbi lenitas, quæ nullo dolore & tædio afficit, nec labores, ad quos jucundissimo animi sensu trahimur, interpellat. Qua felicitate ægrotantibus nil optabilius esse, ipse æger enuntiat, iis tamen ignoscet facile, quorum mollior est in tanta jactura sensus, & qui inter latentiores mali suspiciones blandissimo etiam morbi vultui diffidunt. Ego topicum malum agnosco, rigescentium tendinum & ligamentorum vitio natum, nec senibus otio litterario abutentibus infrequens. Præcessit frigus, hiemali tempestate horis antelucanis pedes calceorum præsidio nudatos longo annorum errore adstringens. Secu-

cuta vis eſt oppoſita caloris, cum jam pedes pelle urſina obvoluti ad ſeptimum uſque ſævioris hiemis menſem foco ignis fere immoti aſſiderent. Strinxit frigus, ſiccavit calor, rigefecit quies. Certum eſt, in ipſo molli corpore juvenum rigeſcere articulos, a quorum motu diu abſtinent. Certius eſt, id in ſenibus fieri, in quo omnia ultro ad majorem rigiditatis gradum tendunt, & membra omni olim motui obſequioſa, ſenſim arida, calloſa & inflexilia evadunt. Denique certiſſime hæc eveniunt ad dictarum cauſſarum acceſſum, dum meatus illis locis anguſtiores frigus plus arctavit, lympham exſudantem & gluten pro mobilitate partium interfluens calor ſiccavit & diſcuſſo tenui denſavit reliquum, unde vera anchyloſis naſci ſolet. Nihil in tali caſu memini immobilitati iſti articulorum rectius mederi, quam ſi partem lixivio ſaponis rite ablutam, ut terſa ſit & perſpirabilis, ter de die vel quater alluat vapor aquæ tepidæ, mox oleum molle inungat, & dum hæc fiunt, moveatur leniter articulus rigidus. His aliquoties iteratis molliuntur indurata ligamenta, diluitur craſſius gluten, & cauſſæ naturalis flexilitatis reſtituuntur. Annon ipſe teſtatur æger, balneo lacteo pedibus adhibito mollitiem aliquam rediiſſe, duriuſculos tumores, maculas, ſpicula ceſſiſſe? Certe ſolus lotus, embroche, bal-

balnea plurimum hic auxilii promittunt, & coalitum rigeſcentium partium impediunt. Imo tenuis in tepido lecto vapor, mediarum quippe inter frigus & æſtum virium, adeoque noxas utriuſque ſenſim expians, in corpore adhuc vegeto ſpontaneam mali ſolutionem non temere promittit. Verum nolim his inhærere, queis in nutrice illa omnis eruditionis Italia cultiſſimorum medicorum jungi conſilia prævideo. Improbe de me expectem, quod illorum attentionem fallat. Potius tecum, Vir Magnifice, vota conjungo, ut reſtabilita plenius valetudine novas fauſtiſſimorum annorum meſſes colligat Vir Summus qui tam uberes ingenii & doctrinæ meſſes orbi litterario non invidit.

Condita cum ſit ei jam ſeptuageſima meſſis,
Millenis alios veſtivit meſſibus agros.

Tibi, Magnifice Pro-Rector, qui Magnificentiſſimi Rectoris, Regis ac Conditoris noſtri vices hic geris, de inito novo Magiſtratu iterum gratulor. Auge lætos fundi noſtri proventus, omnemque ab eo calamitatem averte. Vigilabit diſciplina tua ad confinia virtutum & vitiorum, vigilabit contra ſcopulos ingeniorum & infeſta ſeculi molimina. Tuum mihi, quem omni cultu demerebor, ſerva amorem. Scr. e Muſeo die III. Januar. A.R.S. MDCCL.

P.S. Dum hæc ſcribo, nuntium mittis,
pe-

pedibus iterum ſuis libere inſiſtere Eminentiſſimum Cardinalem, ſine baculo per conclavia ædium ſpatiari, lentiori gradu ſcalas ſuperare, jam etiam de Jubilæo Brixiæ celebrando cogitare. Gaudeo naturam ſuis vindiciis ſuffeciſſe, quam ut ars magiſtram agnoſcit, ita minime ejus gloriæ invidet.

GOTHA.

Epiſtola Julii Caroli Schlaegeri Conſil. & Protobibl. Serm̃i Ducis Gothani ad Card. Quirinum.

Accepi nudius tertius Tua, Cardinalis Eminentiſſime, mandata, die hujus menſis ſecundo ad me miſſa, eademque partim jam exſecutus ſum, partim mox, ut confido, efficere potero. Hiſtoriam morbi, Mæcenatem longe optimum digniſſimumque, qui nunquam tentetur valetudine, affligentis, ſimul ac epiſtolæ Tuæ vincula ſolveram, extemplo obtuli Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani Archiatro, Dn. Sulzero, natione Helvetio, ex ſalutaris artis peritia cum in patria Belgioque, tum in his oris nobili & claro, qui, quum ex intimis meis ſit familiaribus atque patronos meos etiam ſuos exiſtimet, quicquid opis artiſque in medicis eſt adhibuit, ut ſalutaribus fomentis ejus tolleretur morbus, quem numinis tutelaris inſtar me venerari noverat. Quid de morbi Tui natura, Princeps Reverendiſſime, ſentiat Dn. Sulzerus, quibuſ-

que illum depelli posse arbitretur medicamentis, pluribus in adjecto ejusque manu scripto Consilio expositum videbis. Laudatis inibi remediis haud ita pridem Matronam ferme sexagenariam, cetera quidem satis sanam, sed qua similibus crocei violaceique coloris maculis, per universum corpus magno numero dispersis, diu laboraverat atque non solum a Medicis reliquis, verum etiam spe ipsa derelicta erat, valetudini restituit. Felicem hujus curationis exitum Sulzerus meus maximam partem tribuit lactis saccharo, cujus selibram hisce litteris propterea duxi esse jungendam, ut, si placuerit Tibi, Domine, sequi archiatri nostri consilia, prasto Tibi esset medicina efficax, nec opus haberes illam accire Neocomo, quippe qua in urbe sola praparatur. Addo quoque omina optima votaque & precationes, ut quantocyus fiam certior, has vel alias medelas salutares fuisse ei, quo salvo semper habebo, quod exsultem latitia, triumphem gaudio &c. Gotha d. XIV. Octobris MDCCXXXXIX.

Consilium D. Sulzeri Sermi Ducis Saxo-Gothani Archiatri.

TOus les accidents de Son Eminence, doivent leurs origine a un sang salé scorbutique: Vice qui, quoique lent dans ces progresſ, & peu dangereux ne laiſse que d'eſtre opi-

opiniatre ou les meilleurs remedes ne sont effect que par leur usage continué long temps, & que le malade seconde par un regime exact. Voicy (sauff meilleur avis) la methode qui m'a reussi en pareil cas, que je crois suffire aux indications, & qui est laplus practicable dans la saison on nous sommes.

1. Il plaira a S.Em. debutter par la potion laxative A, & se conduire ce jour comme de coutume quand on a pris medecine, remede qu'il repetera de 10. en 10. jours sans en prendre d'autres ce jour la & avec la difference, des augmenter, ou faire diminuer la proportion des ingrediens laxatifs selon que cette premiere dose aura produit moins de deux ou plus de selles.

2. Le lendemain de la Medecine il lui plaira d'avaler deux dragmes de sucre de lait (des montagnes de la Suisse, & dont il y'a demie L. icy joint) le matin a jeun, fondu dans une tasse tiré en quise de Thée d'une bonne pincée des Especes, & par 4. tasses d'eau bouillie S. E. boiront les 3. tasses restantes immediatement apres S. Em. feront autant a 4. ou 5. heures apres mydi a moins que les boissons chaudes ne l'incommodent le soir, en quel cas il faudroit augmenter de 2. tasses ce Thée, & d'une dragme ce sucre le matin.

3. S. Em. pour favoriser la Digestion, &

 la

la Chylifation prendront demie heure avant les deux repas du jour 50. des gouttes C. dans un doigt de bon vin, clair, leger, & qui n'echauffe point.

4. Il lui plaira se faire frotter matin, & soir d'abord a sec, & legerement avec un linge chaud, & ensuite avec un peu du liniment chaud D. les parties endolories des jambes.

5. Il se reinsera quelques fois par jour avec une cuillerée du follytoire E. qu'il lui plaira garder a la bouche pendant quelque temps.

Avec quoi il convient absolument que S. Em. observe un regime exact evitant, avec soin tout ce qui est salé, flatulent, indigeste. Qu'il mache bien, & choississe des aliments doux, & de facile digestion, la boisson doit estre plus ou moins abondante mais legere passant bien par les reins &c. Les tisanes des Racines, de Chiendend, de Scorzonere, de Raclure de Corne de Cerff, avec un peu d'Anis &c. conviennent.

BREMA.
Epistola Joh. Phil. Cassellii
P. Prof. Bremensis
ad Cardin. Quirinum.

EX *ultimis Schlaegeri mei literis, de toto valetudinis adversa, quod maxime doleo,* *statu*

ſtatu certior factus, conſulere Medicum hujus Civitatis experientiſſimum, pro eo, quo in Te, Eminentiſſime Purpurate, tuo amore, & æſtimatione, perplacuit, num fortaſſe morbus ille in provecta jam ætate, diri quid vel diuturni ominetur.

Lætus accepi reſponſum, non adeo difficilem hunc morbum curatu eſſe, ſimul a Medico petii, ut mihi de hujus morbi cura faciliori cogitata ſua aperiret, petitis meis ille lubens annuens, animi ſui ſenſa circa morbum Tuum his literis ad Te dare voluit. Id unicum in votis habeo, ut omnia Conſilia vergant ad proſperam valetudinem in ſumma demum ſenectute conſervandam, & alteratam quodammodo reſtituendam. Perge in ſeros annos litterarum columen, Eccleſiæ columna & meum præſidium eſſe, & gratia & favore Tuo Purpuratorum Eminentiſſime me complecti. Dabam Bremæ d. III. Cal: Nov. A. 1749.

Conſilium D. Godofredi Melm
Med. Doct. Prof. & Reip. Bremenſis Phyſicis.

NOn equidem immemor ſum aurei Catonis dicti: ad conſilium, niſi vocatus, non accedito; hinc non facile me peregrinis ſoleo immiſcere rebus. Tamen qua cauſa impulſus hæc exaraverim, brevibus proponam. Vidi apud Eminentiæ Tuæ haud ignotum

Caſſelium literas ad eundem a Schlaegero Gothano exaratas, & in iis ſtatim intueri contigit imaginem morbi Tui ad vivum depictam. Roganti Caſſelio de hoc morbo, ejuſque genio ſtatim meam aperio mentem, adjiciens, hoc morbi genii his ſaltem in oris haud infrequens eſſe, nec ita difficilem fore ejus ſanationem, modo ſimpliciſſimis, adæquatis tamen remediis, hoc malum fugare concederetur. Narrabam porro Caſſelio, me paſſim per urbem patriam, inſignem numerum hoc morbo decumbentium, & præſertim in Xenodochio publico feliciter ſanaſſe, qui poſtmodum vegeti, more tamen ſenum, vitam ad ſummum humanum terminum protraxiſſent. Voluit Caſſelius, ut Tibi, Eminentiſſime Cardinalis, mentem meam de ægritudine Tua aperirem, inſimulque medendi methodum tranſmitterem, cui petito eo libentius morem gerere valui, quo conſtantius ſit, vita Tua vegetaque valetudine orbi literato, Eccleſiæque nil gratius, nihil acceptius eſſe: accipe igitur ſerena fronte & favore Tibi innato, quibus reliquos mortales ſuperas, veriſſima hæc, experientiæ fulcro innixa, & multiplici uſu comprobata.

Ægritudo Tua, Illuſtriſſime Princeps, ſenioribus Medicis appellari conſuevit Scorbutus, cujus cauſa in acrimonia ſanguinis conſi-

ſiſtit, qua extrema vaſorum ſubcutaneorum corroduntur; dolores pedum ab irritatis nervis, præſertim ſi commoventur; maculæ pedum a ſtagnante & extra circulationis leges poſito ſanguine & per cutem tranſparente; incommoda in gingivis, præſertim illis in locis, ubi dentes adſunt, quorum peridentium minutiſſimis vaſorum ruptis, labem facili negotio contrahit &c. proficiſcuntur. E quibus ultro fluit hanc acrimoniam tantum eſſe corrigendam, quod ſequenti remedio haud difficile erit factu. Recipe foliorum Senace unc. I. Seminis aniſi vulgaris drach. II. foliorum acetoſæ recentis Manip. VI. folior. cochleariæ rec. Man. III. Tamarindor. unc. 13. inciſa & contuſa coquantur in libris V. ponder. medicin. Aquæ puriſſimæ, ad conſumtionem dimidiæ partis, colaturæ adde Syrupi de cichoreo cum rheo unc. 13. miſceantur.

Ægrotantes lectum intrantes & reſurgentes ſingulis vicibus ſolent capere hujus decocti uncias III. ſervata interea temporis diæta tenui, e cibis facile tranſpirantibus, quos optime omnium commendavit immortalis memoriæ veſter Sanctorius Patavinus in Medicina Italica. Nec nocebit vini generoſioris hauſtus, ad meliorem ciborum digeſtionem & tranſpirationem promovendam. Tumores pedum, ut & eorundem maculæ ſolent hoc

in casu dissipari cataplasmatibus calide imponendis & remediis emollientibus simul ac dissipantibus, verbi causa herb. Mercurial. malvæ, altheæ, radic. ejusdem farina fabar. lini, folior. lavand. menthæ &c. Omnia hæc solent coqui cum lacte ad consistentiam pultis ut fiat inde cataplasma ter quaterve in dies reiterandum.

Sic ex diuturno usu cataplasmatum tandem solet cuticula secedere & pedes pristinum acquirere colorem.

Tandem & pace Tua, Eminentissime Purpurate, addere licet morbi Tui prognosin. 1. Scorbutus talis in corpore senili vix lethiferi quid portendere solet, sed incaute tractatus tandem degenerat in alium morbum pro varia fabrica corporis ægrotantis varium. 2. Nunquam, absque jactantia dictum volo, hunc morbum, præscripta methodo adhibita, in aliam transiisse ægritudinem, vel insanabilem fuisse vidi. 3. Remediorum dictorum impetuosus usus non subito morbum aufert, sed continuatus intra aliquot hebdomadas pedetentim acrimoniam sanguinis corrigit.

Servet interim Te, Illustrissime Princeps, summum Numen, incolumem & salvum ad nestoreos annos, pristinamque largiatur sanitatem, ut omnes literati, omnesque boni cum ecclesia gaudeant de servato tanto Prin-

ci-

cipe & Mæcenate, quin & Tibi imposterum me commendo valetudinis Tuæ studiosissimum. Vale. Dabam Bremæ IV. Calend. Nov. MDCCXLIX.

NORIMBERGA

D. Christophori Andr. Winckler Med. Doct. & Patriæ Phys. ordin.

ARduum sane, & aberrationis plenum negotium esse ægroto absenti Consilium dare velle, cujus Statum naturalem, Corporis habitum, Morum consuetudinem, Vitam anteactam, Animi pathemata, imo Morbos prægressos, & an ab ipsis consilio, & arte, vel Autocratia Naturæ liberatus fuerit, plane nescias; (quæ omnia tamen novisse non solum juvat, sed fere necessarium est) abunde testantur præclarissimorum Illustr. Reipubl. Venetæ Medicorum effata, quæ Eminentissimum Dominum Cardinalem Scorbuticum declararunt, licet vix non omnibus tædiosi hujus morbi signis diagnosticis careret.

Nemo puto mihi vitio vertet, si ego hisce vestigiis perterritus, de pede retrahendo cogitarem, ne autem studio meo primario, puta, inserviendi proximo, quantum Divina concedet benignitas, aliquid derogetur, quid de hoc morbo, ejusque medela sentiam, paucis declarabo. Se-

Secundum Historiam morbi, quam Ipse dedit Eminentissimus Dominus Cardinalis, in partibus corporis superioribus omnia recte se habent, valet Caput, Pectus, Stomachus, & reliqua, imo, quod maximum, viget Animus, claro indicio, humores nondum esse universaliter corruptos, sed inferiores partes saltem affici, & quidem a causa externa, ab initio parum curata, quæ vero postquam incrementa sumsit, satis molesta evasit. Mihi itaque verosimile videtur, pedes primo a frigore constrictionem nimiam circa malleolos, calcaneum, & interstitia musculorum in regione tendinis Achillis; postea autem ex subsequente concalefactione tum ignis, tum pellis ursinæ, relaxationem nimiam toni in partibus jam nominatis perpessos fuisse; ex qua relaxatione toni orta stagnatio humorum circa has partes, & ex stagnatione aliqualis, non totius massæ, sed saltem stagnantium humorum corruptio, ex qua maculæ crocei, & violacei coloris, imo exinde etiam levis iste tumor, qui mox evanescit, mox redit, secundum gradum caloris nimirum, quo pedes plus minus, occasione ita ferente afficiuntur. Ut ut autem malum hoc tolerabile reputetur, cum Eminentissimus Dominus Patiens de reliquo athletica valetudine uti videatur, periculum tamen est, ne hæc corruptio stagnatium humorum,

morum, vi circuli ſanguinis continui, & univerſalis, reliquæ humorum maſſæ communicetur, & inde labes viſceribus in futurum inducatur; bilis enim hæc excrementis ſæpius ſuffuſa, mea ſaltem ſententia, nondum ſufficiens præbet argumentum, quod ſanguis pro nunc jam aceſcat, aut acrimonia quadam bilioſa contaminatus ſit: hæc enim bilis ſuffuſio & ſenibus, & neceſſario motu deſtitutis, itidem, abſque ulla mala, ut ita dicam, conſequentia, accidere poteſt.

Ex jam dictis autem ſponte fluunt, puto, ſigna indicantia pro acquirenda rite mali hujus medicatione. Nempe ſtagnatio humorum circa partes læſas eſt diſcutienda, & ſimul viſciditas illa, & inde ſequens humorum acrimonia reſolvenda, & eduleoranda, & poſt hæc tonus partibus reſtituendus.

Primum obtineri poterit Infuſo quodam, ex. gr. e Raſura Lignorum Saſſafras, & Guajaci, Radd. Sarſaparill. veræ, Chinæ, Pimpinell. alb. & Vincetoxici, inſtar potus Thée adhibendo, interpoſitis pulveribus ſalino-terreis, cum Nitro & Antimonio diaphoretico rite permixtis; quibus pro re nata ſubjungi poterunt, & Tinctura Antimonii tartariſata bonæ natæ cum Eſſentia quadam Alexipharmaca remixta & juſto tempore una vel altera vice in hunc ſpecialem finem præparata, ſeu, ut loqui amant, appropriata lenia, imo le-

leniſſima laxantia. His per aliquod tempus continuatis, & fine, ex Benedictione Divina, propoſito obtento, tandem Tonicum ita dictum medicamentum, verbi gratia, Tinctura vitrioli Martis Ludovici cum Eſs. Adianthini albi, & tantillo Liq. anodyn. mineralis Hoffmanni Hallenſis, coronidem operi imponere poterit. Quæ omnia autem præſentiam, & directionem periti cujuſd. Medici expoſcunt.

Medicamentis externis, niſi alia & non prævisa accidentia id ſuadeant, hic nullum agnoſco locum, utpote quæ ut plurimum Tonum magis relaxant, ſtagnationis diſcuſſionem impediunt, & conſequenter majori corruptioni, circa partes jam læſas, infelicem anſam præbent.

Faxit Deus T.O.M. ut hoc quicquid eſt Conſilii, in Eminentiſſimi Domini Cardinalis reſtitutionem in integrum cedat, Ipſumque ad Neſtoris uſque annos conſervare poſſit; de quo & ego Summo Numini grati animi ſymbola humiliſſime offerre non intermittam. Norimbergæ 30. Octobris, ſalvo melius ſentientium judicio A.R.S. 1749.

MEM-

MEMMINGA.

Epiſtola Jo. Georg. Schelhornii Memmingenſis Bibliothecarii ad Card. Quirinum.

Licet ex inſignium librorum lectione &c. In doloris præſertim Tui ſocietatem veni, cum, quod publicæ jam rerum novarum tabulæ nunciaverant, ex præfatione & pag. 103. 181. *II. Tomi incommodam affectionem in extremis pedum partibus, quæ Te lectulo affixum tenebat, intelligerem. Obſtupeſcebam vero ſimul excellentia & magnitudine animi Tui, adverſis ſuccumbere neſcii, qui ex corporis morbo adeo nihil prorſus detrimenti paſſus eſt, ut potius in ipſa calamitate inconcuſſum exſereret robur, novumque patiendo vigorem acquiſiviſſe videretur. Quis enim non in admirandis ponat, a languente tam vividum celſi ingenii monumentum, in quo Te ipſum ſuperaſti feliciter, proficiſci potuiſſe? Spero jam tranſiiſſe illam nebulam, ac, reddita pedibus divino beneficio firmitate, in exilium plane pulſum eſſe perpetuum quicquid erat moleſtiæ: Deumque ſoſpitatorem ſupplex veneror, ut literarum bono diutiſſime Te ſervet incolumem corpore, ingenio vividum! Inexplicabile dictu eſt, quanta ardeam cupiditate tertiæ elegantiſſimi commentarii partis, ac, ni grave ſit, epiſtolæ, vel ſchedulæ ſaltem, reſtitutæ in integrum valetudinis*

dinis nunciæ. Pro inæstimabili autem duarum priorum partium dono persolvo Tibi, Cardinalis Eminentissime, cui tantum jam propter vetera beneficia debeo, quantas possum, grates, ac cæteris, qui restant eximii operis tomis faventem lucinam ex animo apprecor &c.

Epistola altera ejusdem ad Eundem.

NUllus dubitans, quin reddita, Tibi, Clementissime Princeps, justo tempore sit epistola mea, sub hujusce anni, quem ex omni parte auspicatum Tibi esse jubeat Deus O. M. initium exarata, nunc promissi memor mitto Consilium medicum Viri suæ artis callentissimi Balthassaris Ehrhardi, Poliatri nostri præclare meriti, & Academiæ Naturæ Curiosorum Collegæ doctissimi, qui insignem rariorum rerum naturalium apparatum possidet, atque erudita commentatione de Belemnitis Suevicis, Lugduni Batavorum quondam edita, aliisque inclaruit. Utinam ille Tuos, Domine, prolongare dies medica hac ratione valeret! Si quid porro ex illo aliisque rescriscere gestias, Tuum erit, mihi imperare, meum, nutus Tuos capessere. Tertia pars desideratissima Commentarii, de rebus ad Tuam Eminentiam pertinentibus, nondum ad me pervenit, &c. Memmingæ A. R. S. MDCCL. d. XII. Jan.

Con-

Consilium D. Balthassaris Ehrhart Med. Doct. Reip. Memmingensis Physic. Ord.

QUod felix faustumque Deus Optimus Maximus esse jubeat. Sidere bonis literis auspicatissimo factum est, ut morbus hyemalis prolopediorum diuturnus, qui eruditi Orbis Ocellum, Eminentiss. Principem ac Cardinalem Quirinum, detinuerat, a tam benigna humoris materie profectus eaque viribus adeo iutegris ac veluti juvenilibus vitæ penitus exterminata fuerit, ut Viri etiam in Asclepiadea arte versatissimi morbum illum plane externis adscribere causis haud dubitaverint, scilicet calori sive foci sive ursinæ pellis nimis studiose applicato, sicut qui septennio abhinc Romæ vexabat, frigori imputabatur. Nec dubium mihi ullum, longe maximas partes utraque vice his excessibus imputandas, quia semper sine ullo remedio in auras abiit morbus, idemque intactas reliquit tota ejus duratione (utinam & longius subsecuturo tempore!) omnes superiores corporis partes. Verum enim vero quia Septennalis annorum periodus inter primum alterumque morbum intercedit, & (Epistola ad Menken. pag. VII.) bilis insolita (pituitam vocaverim Scorbuticam) excre-

excrementis perfusa apparuit (testante Schedula morbi intimatoria) item gingivarum insignior intumescentia, qua parte dentibus adhuc superstitibus illæ vicinæ, utpote ibi natura magis succulentæ sunt, (Commentar. Histor. P. II. L. I. p. 182.) Addo quia monente Celso in debili (quo senecta spectat) periculosa omnis offensio est: hinc securiori maxime via incedendum existimo in Celsissimi Mecænatis, imo Ecclesiæ Rom. Principis Viri, vita, quantumpote, prolonganda, quod secus faciunt, qui morbum mere externis illis causis imputantes, noxam omnem & præsentem & futuram jam exterminatam autumant.

Quia secundum Immortalis Lancisii monitum (de mortibus subitaneis) causas morborum recursitantium summe velocium, moveri circa quadraturas Zodiaci, hic memori mente tenendum; denique velim, meæ observationi locum concedant Archiatri Brixienses, qua annorum supra viginti quinque experientia edoctus hunc firmavi Canonem: Qui ætate provectiores mensibus hyemalibus ac vernalibus motus defectum experiuntur insigniorem, autumnalibus vero vividiores se habuerunt, illis vera tunc senectus morbifera incipit, & sibi alternis quidem annis periculosiorem morbum imminere sciant, ni tela prævisa avertantur, quod in no-

noſtro caſu maxime fieri debet ante ſemeſtre prius anni MDCCLI. Dum vero morbi hujus definitionem exhibere cupio, rite eum deſcribi poſſe arbitror tanquam Affectum ſcorbuticum hyemalem, prolopedia & tendines Achillis præprimis infeſtantem, plurimam partem obſtetricante defectu debitis caloris regiminis, nec tamen ſine interna dyſcraſia ſcorbutica natum, podagræ indoloris ſpeciem modo præ ſe ferentis, hac vice autem autocratia Naturæ Vivaciſſimi Cardinalium victum (vid. litteras ad Menk. pag. c. c. c.) quod jubilans iterum decantet apud tranſmontanos Goettinga non ſolum, ſed omnes bonarum litterarum cultores.

Præmiſſa, inquam, hac morbi definitione, eo audaciæ provehor, ut tenue meum conſilium cum Purpuratorum Eminentiſſimo olim ægrotante demiſſe communicare audeam, rogante quem Patrem Spiritualem veneror, cœtus in Patria mea Evangelici Paſtore vigilantiſſimo ac χαριεστάτῳ, mihique amiciſſimo Conſanguineo, D. Schelhornio. Utinam vero ſine eo, etiam Cornari, conterranei ſui, ætatem ſuperet, quod factum iri prorſus confido.

I. Si medicos porro fugiat, atque medicinam, ſecundum Montani, Patavini quondam celeberrimi Medici, Axioma. Nam, cum ſeceſſus optimi Cardinalis, apud nos

Campiduni, & Ottoburæ facti, docuerint, quam sobria & exactissima diæta ille gaudeat, qua *addere* norit & *detrahere* necessaria quæque, & universa Therapia ultra binas illas, plures nesciat indicationes hisque jam ad lancem per diætam expletis, quid quæso dictamnus, quid Panacea juvet? Sin vero urgentior æquilibrii vit-animalis lapsus activiora postularit media, serum lactis bene exquisitum scopo evacuandi, & Chinæ Chinæ Cortex roborandi, naturæ paucis contentæ satis facient abunde, votisque, si Deus annuerit, universæ litteratæ Europæ. Tum talium director Medicus præsens, optarem, similis sit Valcarenghi, Balgivo Italiæ redivivo.

II. Sed anima omnis medicinæ, imo hac potior sit, continuatum porro alacriter studium Historiæ litterariæ, & Commercii cum eruditis ubicunque degentibus ingenuis atque impigris, suavi rerum varietate, & jucunda varietatis inquisitione spiritus animales mirum quantum, exhilarantibus, ut his diu noctuque immorari, diu non, imo nunquam, mori sit. Cujus medicinæ ad longam vitam conducentis veritas, jam Verulamio περὶ μακροβιῶν in Historia vitæ & mortis cognita nuper Exemplis egregie firmata & comprobata fuit a Celeb. D. Behrens in votis Jubilæis, vid. Novell. littera-

rar. Goetting. Germanic. 1748. N. 70.

III. Aeris mutatio cum maximam vim ad firmandum non ſolum ſolidorum tonum, ſed craſin fluidorum juſtam & balſamicam, quam vocant, poſſideat, peregrinationes annuæ ſaluberrimi erunt momenti, ad temperatas præſertim tranſmontanas regiones, blande nitroſo aere, & effluviis montanarum plantarum celebratas inſtitutæ; evitatis meridionalibus, ſolibus exuſtis, &; damnatis a Lanciſio ac Ramazini paludum effluviis, horridis. Præferrem autem maxime iter ejuſmodi litterario-medicum in lectica potius inſtitutum, ubi nulla femorum interiorum compreſſio, quæ equo inſidenti accidit, & facit, ut difficiliori reddito aſcenſu lymphæ a protopediis, nervis ſimul eadem preſſione ſtupefactis, pedum labes ejuſmodi obtingat, veredariorum exemplis id abunde comprobantibus.

IV. Externe ſalutarem Sanctorianam tranſpirationem in pedibus, imo & ſudorem eorum particularem ac oleoſum ſæpe conſervaret geſtatio ocrearum; non urſina pelle, nimium exſiccatoria, ſed ſerico carpto & corio ſuperficie villoſa, confectarum opeque ligulæ per colla pedum ad dimidias ſuras modice ſtrictarum, quibus & ligamenta tarſi, magis firmarentur. Pro fibræ autem nimis ſolideſcentis iiſdem in partibus, maxime

me qua tendines Achillis, robore firmando, & laxitate minimorum circa eas tubulorum minuenda, flos farinæ Triticeæ cum lacte in pultem coctæ, lepide pedibus applicitæ conduceret optato, certiusque infidis Thermis, vel lutosis *Fanghi* dictis, vel humidis nimis puro ex lacte pediluviis.

Iis, quæ hactenus protuli, coronidem jam jam impositurus recordor, me ex Præstantiss. Italorum medicorum scriptis didicisse, ex Eminentissimo Cardinalium Collegio ultra duas tertias tantam adipisci senectutem, ut nonagesimi etiam Psalmi terminum, Annorum scilicet octoginta, attingant.

Hunc ut, sive hujus, sive aliorum consiliorum medicorum ope, longa felicissimorum annorum serie, mortales inter intemerato, & tanquam juvenili vigore, quo jam septuagenarius cluet, superet Optimus Purpuratorum Princeps, Eminentissimus Cardinalis Quirinus, ardentissimis precibus vovet.

SALISBURGUM.
Epistola D. Godofredi Abbatis Cœnobii S. Petri.

MOrbosus ille pedum affectus, qui tanto jam tempore afflixit, & affixit lecto Rmam Eminentiam Vestram, & nostros merito & magnopere affligit animos, ciet intimos *com-*

compassionis motus, atque in id intentos reddit, ut ardentibus qua precibus qua Sacrificiis imploremus opem supremi Medici, qui reddat sanitatem integram eamque simul Eminentia Vestra Reverendissima in annos plurimos, pro SS. Ecclesia Sua, S. Ordinis nostri, Reipubl. Literaria bono, splendore, emolumento, nostrumque omnium solatio maximo. Id uti cupio ardentissime, ita omittere nec volui, nec valui, quin paginam typo impressam status morbi testem & interpretem exhiberem huiatibus duobus Medicis, utrique Italo, Dñis scilicet doctoribus Petro Antonio de Alliardis Celsissimi Archi-Episcopi nostri Archiatro, & Sylvestro Barisani Veneto, juveni equidem, ast a scientia sua, & praxis medica dexteritate passim hic, Nobilitati præprimis, æstimato & probato. Qui & uterque suam desuper mentem, & judicium Medicum manu quisque propria scriptum tradidit, quas pagellas, quod hisce adiicere ausim, Clementissimam rogo, & spero veniam. Afferat morbo Benignissimus Deus promptam & velocem medelam malo, pro ut Bonitati Ejus fuerit complacitum &c.

Consilium D. Petri Ant. de Alliardis Archiep. Salisburg. Archiatri.

MAculæ partim crocei, partim violacei coloris, in cruribus præcipue circa

 mal-

malleolos apparentes, pedibus insistendi impotentia, tendinum rigiditas, gingivarum tumor, atque corruptio cum oris dubio procul fætore affectum Scorbuticum satis produnt. Huic malo specifica apponenda sunt ex regno vegetabili.

℞. Herbar. rec. Acet. Hortens., Becabung, Cochlear., Nasturt. aquatici, hortens., Pomor. ⊖ ras. aā q. s. M. & contund. in mortar. marmoreo, exprim. succus: hujus succi per residentiam depurat. sumendæ sunt unc. iij. cum jusculo, aut melius c. ser. lact. depurat. bis de die horis Medicis. Vel sumat unc. iij. succi limon. aut unc. iij. succi pomorum aurantiorum acidorum cum sero lactis depurat. bis de die per 40. dies.

Conservæ ex supradictis herbis recentibus, cum Sacharo sine coctura paratæ, eundem effectum præstabunt, quæ per plures menses incorruptæ servantur, & durante hyeme adhiberi possunt. Decoctum etiam rad. Cichor. & Lapath. cum jusculo factum foret remedium durante hyeme usurpandum.

Diæta sit congrua, vitentur salita, aromatica, & fumo indurata; cibi condiantur succis vegetabilium acidulis. Hæc pauca sufficiant. Deus Eminentissimum Principem in Ecclesiæ utilitatem diu incolumem servet.

Con-

Consilium D. Silvestri Barisani Med. Doct.

QUintus jam elabitur mensis, ex quo Eminentissimus Cardinalis N. N. lectulo tenetur, propter durum levem tumorem, qui extremam crurum partem occupat, pertingitque ad malleolos usque; prope quos maculæ etiam quædam partim crocei, partim violacei coloris apparent. Huc accedit, quod neque stare, a tribus vero hebdomatibus neque per se, nisi cum dolore, extra lectum ponere pedes amplius valeat.

His paucis præmissa, ac perpensa morbi hujus historia, conjicere propterea posse videor, affectum hunc esse scorbuticum, licet originem, & causam primariam ducat magis a sanguine viscido, ac quasi putredinoso, hac in ætate frequentissime sic se habente, quam a lympha, & sanguine vere ac essentialiter scorbutico.

Primum cuique patebit, qui tantummodo animadvertat ad gingivarum illam inflationem, quin imo erosionem, quæ primo, ex altero decubitus mense invasit Eminentissimum nostrum: Alterum vero, si ad ætatem, & temperamentum, mihi jam ab aliis optime descriptum, attendatur. Ex dicto

enim Hippo. Sec. 6. lib. 6. Epid. *Corpora biliosa cum senescunt parum transpirant, & humores crudi fiunt*. Cum præterea morbi fomes neque talis, aut tantus sit, ut in ægroto aut febrim, aut dolorem, aut nauseam, aut coloris mutationem, aut multo minus in visceribus obstructionem, aut labem aliquam potuerit inducere; ideo superius dicta clarius probantur: neque mirum est, si præcipua sensuum organa salva adhuc, & integra sint.

Quod demum & ætas, & partium totius corporis athonia, ac humorum inertia; atque præsertim calor ignis, cui proxime præterito hieme per septem fere menses vix non immotus assedit patiens, tam ad hanc ægritudinem, quam ut in pedibus præcipue morbus suam posuerit radicem, multum contribuerint, certe non negabo.

His positis indicativæ curationes erunt, sanguinis lentores alterare, corrigere, ac per urinam blande ammandare: hoc facto studere, ut & humores, & ejusdem sanguinis componentia, quantum quidem fieri potest, refocillentur, ac sua in crasi serventur, ne tractu temporis majora oriantur mala: Quem in finem (præmissa laxatione blanda, atque etiam, si a pulsu indicabitur, parcissima missione sanguinis) interne generatim proponerem infusa, & percocta aquosa; aut potius
in

in ſero lactis parata cum radicibus Cichorii, Sarzaparillæ, Aſparagi, Graminis, Buſci, herba Endiviæ, Taraxaconis, Boraginis, Acetoſæ, & floribus quatuor cordialibus alterata: Tranſitum deinde facerem ad juſculum Viperinum, cum pullo, aut carne vitulina, radice Sarzaparillæ, & floribus maceris confectum. Pro potu ordinario utatur aqua fontana cum radice Chinæ, Cichorii, Liquiritiæ, & ſeminibus fæniculi leviter cocta.

Externe demum frictiones calidas, & ſpiritus vini camphorati uſum, atque ſuo tempore etiam ad prævenienda graviora mala, fonticulos non improbarem.

In hoc caſu, hæc habui, quæ ſcriberem; Interim deſiderio meo reſpondeat eventus, quem fortunatum velit Deus.

HAMBURGUM.

Epiſtola Herman. Samuel. Reimari P. Prof. in Acad. Hamburg. ad Cardin. Quirinum.

QUanquam opto vel maxime, ut hoc quidquid eſt ſollicitudinis meæ, in conſulendo pro Tua valetudine Medico, prorſus jam ſupervacaneum ſit; tamen quoniam juſſeras, eo lubentius obtemperavi meæ in Te pietati, Virumque apud nos & eruditiſſimum, & experientiſſimum, &, quod maximum eſt, eundem pru-

prudentissimum, & felicissimum, adii Tua causa, atque ab eo scriptum ipsius manu consilium, quod his annexum vides, accepi: addo equidem quasi loco sigilli votum, ut bene Tibi cedat, quamcunque visum sit eligere, curandi corporis ratio. Et, ni fallor, silentium Tuum nuperum de statu valetudinis Tuæ, meliora omnia ominatur. Ita Te totum in Dione meo perlustrando occupatum animadverti. Me vero etiam hoc mirifice juvat, quod venerit tandem in conspectum Tuum liber, quod merita in me Tua, quod grati mei animi sensa, & existimationis qua Te, Cardinalis Eminentissime, inter cæteros Tui cultores prosequor, non postremus, proloqui potuerit, & tam benigne abs Te sit exceptus, ut abundantia Tui erga me studii, laudes, quibus multo sum inferior, tribuendas esse facile perspiciam. In altero libri Volumine procudendo versor nunc, non segniter quidem, attamen nec sine impedimentis, maxime iis, quæ ab indicibus ad præsentis Editionis paginas accomodandis, longo sane, & tædioso labore, proficiscuntur. Nisi enim quotidie nunc, inter progressum Operis, aliquam eorum particulam concinnarem, ad extremum reservata hæc molestia me facile obrueret. Habebit vero &c.

Con-

Consilium D. Godofredi Jacobi Jaenisch Med. Doct. Hamburgensis.

DEbilitas ista crurum, quacum Eminentissimus Cardinalis, per aliquot menses conflictari cœpit, Scelotyrbe alias dicta, omnino signum est adventuri scorbuti, cui malo producendo lentor humorum & inde ortus acor, sive acrimonia mirum in modum favent, in sene præsertim venerabili, lucubrationibus continuis vitæque sedentariæ indulgente. Quamvis vero, quæ gratia Dei est, vis morbi extremas corporis partes hactenus occupaverit tantum, internis omnibus visceribus salvis & incolumibus, quod ex integritate omnium functionum reliquarum elucescit; occurrendum tamen est malo ingruenti, cum lentum soleat esse viresque acquirat eundo, ac facili negotio ab exterioribus ad intestina procedat. Paucis tamen & simplicissimis heic utendum esse judico remediis, quorum probatam virtutem & fida & frequens experientia docuit, hisque per sat longum temporis spatium continuandum, ut sensim mitigetur indoles morbi, festinatam medelam respuentis, quibus, ubi conveniens victus regimen accesserit, dubium non est, quin Eminentissimus Vir cum diva Hygea in gratiam sit rediturus. Ut itaque

que ante omnia acres humores corrigantur, & lentor viſcidus reſolvatur, radicis Chinæ Decoctum quotidie ad uncias octo, decem vel duodecim, calide horis matutinis in lecto hauriatur, corpuſque in moderato tepore probe, leviter tamen, tectum conſervetur ſudoris lenis eliciendi cauſa, cui potui ſi ſuccus Citri ad gratam aciditatem inſtilletur, finis modo commemoratus felicius poterit obtineri. Niſi amaror inſignis, qui foliis recentibus Trifolii fibrini ineſt, Eminentiſſimum Cardinalem deterreat, ſuaderem utique, ut infuſum horum foliorum cum aqua ſimplici factum Decocto Chinæ ſubſtitueretur in lecto calide ad uncias ſex hauſtum, cum nemo non ſciat, quantas vegetabile iſtud habeat vires in attenuandis tenacibus humoribus, & acrimonia bilis corrigenda. Horis vero veſpertinis ubi ſe ſomno dedet Vir Eminentiſſimus, Drachmam unam Sacchari lactis cum ſero lactis caprilli deglutiat, huicque vinum Hungaricum genuinum ſuperbibat. Ubi hæc per octo dies uſurpata fuerunt, præſtabit alvum ſubducere, quo acre iſtud bilioſum & viſcidum, quod omne nequit emendari aut ſubigi, foras eliminetur: cui fini quid Rhabarbaro aptius eſt? quid tutius? blande enim iſtud alvum movet, (neque enim vehementibus res gerenda eſt) & bilis vitiis perquam egregie me-

medetur. Convenit itaque, Drachmam unam hujus radicis, in subtilissimum pulverem redactæ, in jusculo propinare, atque, ubi prima vice operabitur, uncias duodecim decocti radicis Chinæ, absque tamen Citri succo, exhibere. Altero post laxationem die eundem iterum ingredi cursum decet, ac horis matutinis vel infuso Trifolii, vel decocto Chinato; tempore vero vespertino, lactis Saccharo acredinem fluidorum temperando per totius hebdomadis spatium pergere, tuncque iterum corpus saburra per Rhabarbarum liberare: huic denique methodo per duos menses insistere.

Ne vero per istum continuatum infusorum vel decoctorum usum tonus ventriculi lædatur, atque ut stomachus alimenta rite concoquat, & in succum laudabilem convertat, quovis die ante prandium & cœnam extractum corticis Chinæ, quod in officinis pharmaceuticis cum aqua paratur, in anima Rhabarbari solutum usurpetur, cujus guttas octoginta cum vino Hungarico assumere licet. Adjiciam normam, juxta quam hoc medicamentum a pharmacopœo parari poterit: ℞. Extract. Cortic. Chin. Chin. cum Aq. parati drac. ij. Solve in Anim. Rhabarb. unc. I. β. M. d. s. hora una ante prandium & cœnam guttæ octoginta sumantur cum Vino Hungarico. De externis remediis non habeo, quod dicam:

dicam: frustra enim hæc adhibentur, nisi interna prudenter præmiseris. Maculæ enim istæ, quando corruptio humorum per debita auxilia propulsa fuerit, sponte evanescunt. Si quid vero contra inflationem gingivæ desideretur, in succo Limoniorum cum succo Cochleariæ commixto, ac aliquot guttulis Balsami Vitæ Hoffmanniani nobilitato habebitur. Sat egregium linimentum, quo caro gingivalis illinatur. Nec est, quod moneam, corpus in moderato calore semper esse servandum, quo transpiratio liberior nunquam non sit; pedes contra frigus externum probe esse muniendos, ac linteis calidis involvendos; denique eo prospiciendum, quo alvus memor sit officii sui ac excretio per liquorem obscœnum rite fiat, cum infusa calida, modo commendata, cæteraque remedia præter mutationem humorum huc etiam collineant, ut secretiones, tum cutanea, tum renalis, debita ratione peragantur. Quod ad cibos attinet, carnium imprimis parcissimum usum suadeo, cum proniores ad corruptionem putredinosam deprehendantur, a quibus in cœna præsertim, quemadmodum etiam a piscibus, abstinere satius est. Eligat potius Vir Eminentissimus Acetaria, Olera, turiones asparagi cum Aceto & oleo paratos; Herbas Acetosæ, Acetosellæ, Beccabungæ, Cochleariæ, Nasturtii hortensis,
Si-

Sisymbrii S. Nasturtii aquatici, sibi inprimis habeat commendatissimas: has aut crudas, probe tamen purgatas, cum succo Citri aut oleo comedat; aut harum succos recenter expressos, ac cum saccharo & melle temperatos cum lactis caprilli sero adhibeat: aut istas herbas jusculis carnium tenerarum incoqui jubeat. Loco potus ordinarii Decoctum Chinæ bibat, cum succo Citri leviter permixtum ac acidulatum, vel serum lactis caprilli, cui Herbæ paulo superius memoratæ sint incoctæ, vel harum succis expressis permixtum. In prandio tamen & cœna vinum Hungaricum commendo. Quamprimum vigor cruribus fuerit restitutus, corpus leni deambulatione, vel si fieri possit, equitatione exercendum erit, nec nimium meditationibus caput defatigandum. Faxit Deus immortalis, ut hæc qualiacunque consilia bene ac feliciter eveniant. Hamburgi XI. Cal. Febr. A. O. R. MDCCL.

STETIN.

Lettre de Mr. de Perard Chapelain du Roy de Prusse a Mr. le Card. Querini.

LEs Gazettes de Cologne nous avoient parlé diverses fois de l'Etat maladif de Votre Eminence, mais les diverses Lettres, dont

dont Elle m'a honoré depuis peu m'ont toujours rassuré sur ce point important. J'en comparois soigneusement les dattes avec celles du Nouvelliste, & j'avois par la occasion de me tranquilliser: cert donc avec douleur que j'aprens pur V.E. elle meme que rien n'est plus vrai & qu'un accident des plus exstraordinaires selon moi l'a tenu depuis cinq mois comme enchainé sur un lit. Je n'ai pas perdu un seul moment pour animer nos Esculapes, s'entend ceux qui ont le plus reputation, & V.E. trouvera icy une preuve parlante de mon Zele & de mon activité, quelle glorie ne seroit ce pas pour notre pauvre Stettin, s'il pouvoit contribuer quelque chose au retablissement d'une santé precieuse a l'Eglise, aux Lettres, à tous les honnetes gens? J'attends de la bienveillance de V.E. qu'elle daignera me communiquer dans le tems ce que nos soins & nos voeux auront pu effectuer. J'ai envoyé en Russie une copie du petit Imprimé qui accompagnoit la derniere Epitre de V.E., & je pourrai bien en faire autant pour la Svede & le Danemarc. Quant à Berlin, Gottingen, Hambourg & Leipsie, j'avrois cru faire une chose absolument inutile, vous y aves des Correspondans, aux quels vous vous serez infailliblement adressés, ce qui me confirme dans cette idée, c'est que l'Etat de la maladie de V.E. est deja reimprimé dans la Gazette Littèraire d'Erlang, qui annonce une Lettre de V.E. au

Pere

Pere Lagomarſino Jeſuite. S'il y a quelque autre occaſion de vous marquer, Monſeigneur, combien je vous ſuis tendrement & reſpectueuſement devoué, je vous ſupplie de ne pas épargner mon zéle.

Conſilium Joh. Andreæ Heintze
Sermi Ducis Brunſuic. Legion. pedeſtr.
Med. Ord. & Chir. primar.

QUæ inquiſitioni meæ tradita eſt morbi hiſtoriam Viri Eminentiſſimi eodem laborantis, ſumma, qua opus eſt, cura & diligentia attentus perlegi.

Sed quid eſt, qui morbos ſæpius ex ratione vitæ anteacta, quam Diætam adpellant Medici, originem ducere neſciat? Quapropter, ſi deſcriptioni illius & quæ de Diæta, & Temperamento corporis, aliiſque huc pertinentibus, adiecta quædam fuiſſent, non ſine animi voluptate percepiſſem.

Si enim hypochondriacum ſuſpicor malum, in eo non facile errare, certe ſum perſuaſus. In cauſas vero mali hujus ſi inquiram, diligentiam Viri incomparabilis, qua opera ejus, poſteris, immo & æternitati & gloriæ tradenda, ſumma, quæ excogitari poteſt ſedulitate, ingenio, ſoliditate componere ſolet, primam, atque præcipuam nominare audeo, atque corporis moti defectum. Quid vero ex hujus neglectu, niſi

minus bene præparatus maleque digeſtus ortum trahere Chylus poteſt? cujus ſpiſſus, craſſus, atque denſus ſanguis neceſſarium eſt corollarium. Ex quo eſt, ut ſanguis ad circulationem minime aptus, gelatus fere fiat, atque quaſi concretus, ita ut in diverſis corporis noſtri partibus perſtare cogatur, quo ipſo acor oritur, magnaque ſalis alcalini copia. Quod ſi corpus morbo affectum calido deprehenditur Temperamento, & ſub calidiori cælo ſpiritum trahit, ſcorbutus inde provenire facile poteſt alcalinus, corporis noſtri nervis, qui malo hoc nimis extenduntur, maxime infeſtus, cum quibus & tumor quidam in partibus corporis, & morbus articularis ſeu Arthritis, aliique dolores, & pedum, aliorumque membrorum debilitas ſunt conjuncta. Sanguinis vero, cujus ſupra mentionem feci, acore, maculæ varii coloris, ulcera & varia ejuſmodi mala, halitus oris tabidus & fœdus, gingivæ putredo, ſeu ſtomachace, corporiſque totius fere debilitas, & quæ ſunt alia, provenire ſolent. Ex hiſtoria vero morbi, & pedum dolore, quem in ea deprehendi, quique tantus eſt, ut non ſine ſpaſmate pedes figi, gradibuſque moveri poſſint, ſcorbutum hic latere alcalinum, judicandi rationem habere videor. Accedunt maculæ, & gingivæ morbus, corporiſque debilitas, quæ idem evincere

re videntur. Scorbutum vero non subesse acidum aut salsum, qui in locis ad septentrionem sitis maxime deprehenditur, rationes in historia morbi declaratæ satis superque demonstrant; præcipue, quum de sapore oris salino nec verbum adest nec vestigium. Fortassis etiam membra igni antea admota, demta vero pelle ursina, frigore correpta malum hoc augere videntur. Ad quod depellendum, ut majorem sanguis fluiditatem dulcedinemque recipiat, omnis adhibenda est cura. Eundem ad finem consequendum, usum, de cujus fructu, eorumque, quæ sequuntur, in castris etiam experimentis sum edoctus, seri lactis dulcis commendare non erubesco. Recipiantur ergo tres sextarii, seu una cum dimidia mensura lactis hœdini, vel asinini, carbonibusque leni igne candentibus imponantur, & continua agitatione, ne combustionem sentiant, in vase aperto cupreo coitura decoquantur. In quam massam tres sextarii, seu una mensura cum dimidia aquæ bonæ naturæ infundantur, quæ conjunctim, ut massa illa liquescat, coquantur, & percolatione deinde facta, in reliquum fluidum duobus injectis manipulis Nasturtii & Cochleariæ, rursus ebullire cogatur, & percoletur.

Quæ inde oritur potio in duas dividitur partes æquales, quarum alteram mane non

ſatis calidam ; alteram vero in horis pomeridianis vel frigide, vel parum calide per continuum menſis ſpatium bibere morbo affectus poteſt. In principio vero curationis morbi, corpus per ea, quæ num. I. adjecta ſunt, ut purgetur, uſui eſſe poteſt.

Ut vero & ſtomachus & inteſtina & nervi tonum recipiant rurſus, ſub prandium de Elex. Viſc. N. II. indicato; & loco potionis ex Thee, vel Caffeo præparatæ, nervos præcipue debilitantis, potio ex Chocolade aqua præparata eſt ſumenda, cui identidem XX: vel XXIV. guttæ ex Hoffmanni Liquore minerali anodyn. inſtillari poſſunt. Veſpertino vero tempore pulveris, cujus N. III. mentionem feci, Sanguinem purificantis, nervoſque corroborantis uſum omnino commendo. Os quotidie aqua pura cum admixta decima parte ſupra dicti Liquoris mineralis anodyn. lavari, & gingiva eo fricari poteſt.

Matutino & veſpertino tempore pedes linteolis calefactis quotidie fricari etiam debent. A cibis acidis, limumque facientibus, aut pituitam moventibus, & farinaceis abſtinendum.

Et hoc modo, Deo volente, priſtinam me valetudinem reſtituere poſſe credo pariter, atque confido.

N. I. ℞. Mann. elect. unc. ij. Cremor. tart. drac. I. coq. & ſolv. lene calor. Aq. flor. aurant. Adde ol. de cedro gutt. IV.

N. II.

N. II. ℞. Essent. Card. bened. Cent. minor. Gent. rubr. Cochlear. Nasturt. Tart. tartarisſ. aã drac. I. Vin. Hungar. libr. 1. Essent. cort. aurant. unc. I. M. F. Elix. Cap. cochl. unum post cibum.

N. III. ℞. Pulv. cinnabar. rit. ppt. Nitr. depur. aã drac. I. M. F. Pulvis. Dosis ſcrup. I. ad ſanguinem depurandum.

Consilium D. Caroli Friderici Kock Med. Doct. Consil. Aulici Medici Ordinarii Legionum Statariarum Sedini.

Quem mihi propoſuiſti caſum, Amice, tanto majori ſolertia indagare & ponderare conatus ſum, cum de ægroto agitur, Tibi amico, & quem magni Te facere mihi declaraſti. Ad morbum ipſum quod attinet, nota & indicia nimium ſunt luculenta, quam ut merum affectum ſcorbuticum eum eſſe dubitem. Scorbutus mihi eſt corruptio ſanguinis & lymphæ. Dicuntur hi corrupti, quando ratione mixtionis peccant, vel impuritatibus ſcatent. Poſtrema hæc ſpecies in priore plerumque eſt fundata, niſi partes impuræ per infectionem corpus attigerint. v. g. ſi ſanguis admodum eſt ſpiſſus, ſecretiones impuritatum ſufficienter fieri nequeunt; reſtant itaque particulæ ſalinæ, bilioſæ, mucoſæ, &c. in ſanguine

augentur magis magisque, & una cum sanguine reliquos corrumpunt humores. Species impuritatum variæ sunt, ideo morbi exinde nati non possunt non esse varii. Si sanguis stricte sic dictus est congrumatus, nec sufficienter cum bona lympha est dilutus, morbos qui exinde proveniunt, generali nomine appellamus Scorbutum.

Hi autem ita se manifestant: simul ac sanguis, ac lympha justo sunt spissiores, circulatio eorum fit segnior; quo lentior autem est circulatio, eo magis inspissantur humores, qui tandem in vasis tenuioribus stagnare incipiunt, & si impuritatibus salinis commixti sunt, non possunt non dolores attritici inde enasci. Si hæc stagnatio in vasculis subcutaneis latet, apparent maculæ, aut flavæ, aut rubicundæ, aut cœruleæ, ob sanguinem stricte sic dictum una cum particulis serosis & mucosis mixtum. Nisi huic malo prompta opponatur medela, stagnationes augentur, nascuntur duri tumores, qui tandem in corruptionem degenerant, plurimaque mala accelerant. Sic gingivæ ab eadem causa intumescunt, dolent, & sanguinem facile emittunt. Cum vera hæc sint symptomata, de quibus in historia morbi conqueritur, morbum affectum scorbuticum esse nemo negabit. Proximas causas, unde hic morbus originem habet, tantum allega-

gavi. Dantur tamen occasionales causæ, ad quas omnes eæ referri possunt, quæ humores condensant, & excretiones impuritatum impediunt. Huc omnium maxime spectat genus vitæ sedentarium, detentio in aere frigido ac humido, qui transpirationi officit, & tonum partium solidarum relaxat; esculenta crudiora, aut nimio sale vel aromatibus condita, quorum priora spissum reddunt chylum, posteriora vero sanguinem in vehementiorem concitant motum, & aciem conciliant. Inter omnes constat, ætatem juniorem & senilem corruptionibus humorum præcipue esse obnoxiam, & quo major sit dispositio corporis, eo facilius ad morbum præbere possunt occasionem. Quamvis itaque de Diæta ægroti nulla mentio sit facta, sufficit, quod sit septuagenarius, vitæ sedentariæ, & quidem durantibus septem mensibus deditus, & quod adhuc considerandum ad ignem camini, ubi aer in hypocausto frigidior est, & pro conditione tempestatis humidus manet, & frigus pedes maxime tentat. Sequitur ex his, morbum fuisse inevitabilem, quippe continua sessio humores inspissavit, aer frigidus transpirationem impedivit, ita ut particulæ acriores in corpore remanserint. Stagnatio etiam in pedibus inchoare debuit, quia circulatio in iis difficilior, quo magis motus tonicus ob motus vo-

luntarii neglectum & profundas meditationes debilitatus fuit. Arrritis scorbutica ergo necessario inde enasci debuit. Nunc quæstio est, num hic morbus tolli possit? ad quam respondeo: parem esse rationem hujus & reliquorum morborum, quorum fundamentum positum est in cacochymia. Nam quo diuturniores iidem, eo magis humores corrumpuntur, & partes solidæ inficiuntur, & curatio eo fit difficilior, interdumque plane impossibilis. Cum autem ægrotus insignem virium prostrationem nondum sentiat, appetitu adhuc gaudeat bono, mens ipsi serena, dentes adhuc firmi, & corpus liberum ab ulceribus, scorbutum adhuc judico incipientem, & ægrotum ab hoc malo liberari posse credo. Ad obtinendum hunc finem suaderem, ut de decocto sub lit. A. loco potus ordinarii quatuor libræ sumantur.

Cum hocce decocto conjungerem potiunculam sub B. hora septima matutina uno haustu ebibendam. Hora decima ante meridiem, & quarta post meridiem commendarem mixturam sub C. & versus noctem darem pulverem ex nitri depurati gr. XV. & Matr. perl. citrat. paratum. Cum hisce remediis ad minimum per quatuor hebdomadas est continuandum. In stomachace sublevant essentia myrrhæ, succini, spiritus cochlear. tinctur. sanguin. draconis, alumen

men uſtum &c. Maculæ non debent reprimi, ſed diſcutiantur potius per lenem frictionem cum Sp.vini camphorato, aut manu ſicca aliquantiſper calefacta. In Diæta neceſſe eſt, ut abſtineat ægrotus cibis crudioribus, & ſanguinem commoventibus. Intra prandium interim parumper vini permitterem. Simul ac morbus aliquo modo ceſſaverit, & vires in tantum reſtauratæ ſint, motus corporis & mutatio loci, aeriſque plus auxilii afferunt, quam quælibet optima medicamenta. Sedini d. 18. Octob. 1749.

A

℞. Rad. Sarſaparil. Chinæ, Hermodact. aā drac. V. Cort. Cinam. ſcrup. II. Tart. crudi ſcrup. I. Conc. coqu. c. IV. lib. aquæ fontan. d. ſ. decoctum pro potu ordin.

B

℞. Milleped. viv. n. XXX. aq. Cinam. ſ. vin. unc. II. ter. opt. colat. adde l. Sap. perc. ppt. ſcrup. I $\frac{1}{2}$ M. d. ſ. Potio uno hauſtu ſumenda.

C

℞. Extract. Fumar. Abſinth. Trifol. fibrin. Vincetox. aā drac. I. Pimp. alb. Valerian. Cent. minor. aā ſcrup. I. Liq. ter. fol. tart. drac. VI. Vini albi generoſ. unc. I. drac. II. M. d. ſ. mixtura ad LV. guttas ſumenda.

Con-

Consilium J. E. A. Thede
Chir. Maj. Legion. Pedestr. Dñi Majoris
Generalis De Treskovv.

MOrbo illi cujus historiam Viro generosissimo, summe plurimumque Reverendo Dño de Perard mecum communicare, deque eo meum qualecunque judicium exposcere placuit, Scorbuti adfectus nomen imponere, minime sum ambiguus. Provoco in hujus adserti probationem, ad signa hujus mali evidentissima, maculas nimirum in cruribus comparentes crocei atque violacei coloris, gingivas inflatas, dolentes & ad minimam pressionem evomentes cruorem, dolores extremitum maxime inferiorum invadentes musculos, horumque partium tumores. Hæc enim fere sunt criteria ex omnibus præcipua, quibus ex omnium Auctorum consensu scorbutus ab aliis dignoscitur ægritudinibus. In omni igitur hocce casu nihil notatu mihi dignum, præterque consuetum naturæ ordinem visum est, excepto unico; nam quod pedes præcipue symptomata hæcce occupent, ex eo provenire potest, quod in senibus septuagenariis omnes fluidorum motus ad inferiora vergant, & præterea in his partibus humores maxime ad stagnationem sint proclives. Hinc facillime se-

serum salsum, acre, justo minori vi motum, circa nervosas, tendinosasque partes stasin concipere, easque vellicare potest. Maximam vero mihi incussit admirationem, quod hic morbus tractibus tantum septemtrionalibus proprius hucusque habitus, in Italia regione meridionali, in scenam prodeat. Verum enim vero paulo curatius hujus mali genesin atque naturam perpendenti, & ibi hunc morbum posse produci, perspectu adeo difficile esse nequit. Quod si enim hic morbus, jam quod sana ratio præcipit, & assidua comprobat experientia, crassitiei sanguinis in una, & singulari acrimoniæ in altera parte originem debet, quid ni etiam Italia simili morbo suggerat caussam non video. Cum enim optimæ doceant Observationes (vid. Boerhavii Aphor. 1165.) acrimoniam hanc pro diversitate subjectarum causarum, quæ vel saline muriaticæ, vel acidæ austeræ, vel alcalinæ, vel rancidæ oleosæ, deprehendi indolis, quid vetat alcalinæ seri discerasiæ in regione tam calida tribuere caussam? Ad hancce vero alcalinam putredinem humoribus inferendum, omnia fere, & clima illud, & diætam illius regionis familiarem velut conspirare, nemo negabit. Ab æstu enim solis fervidissimo, qui non spissitudinem tantum sanguinis causari, sed & omnia fluida ad putredinem dis-
po-

ponere valet, aeremque multis replet exhalationibus acribus, si discessero, aromata, quæ ibi quam maxime habentur in deliciis, herbæ alcalescentes (catalogum vid. Isah. Aphoris. 76.) insecta, amphibia, volucres, cunctaque animalia, quæ aliis vescuntur animantibus, ex præcipuis sint, quæ alcalinam introducant acrimoniam. Accedit huc senio jam confecta ætas, vita sedentaria, utpote viris sueta doctrina præclaris, quæ & solæ spissitudini, atque acrimoniæ velificantur sanguinis. Ignoro præterea reliquas vitæ rationes, quæ forsan huic malo ansam præbere possint amplissimam, habitatio exempli gratia in maris vicinio, circa paludes, in solo pingui spongioso posita, vel aggeribus aut montibus circumdata, liberum aeris accessum prohibentibus.

Quod ad hujus mali Pathologiam attinet, ignotæ mihi quidem sunt medicamentorum compositiones in istis regionibus usitatæ, nec me latet, methodum ibi medendi a nostra toto differre cœlo, sed si dicere fas est, quod mihi quidem videtur, omnis medentis intentio eo dirigenda erit, ut sanguinis spissitudo resolvatur, acres mitigentur humores, blandeque e corpore educantur. Quem in finem, nescio, an aliquid meliori cum effectu in usum trahi possit, ac serum lactis asinini, quod reliquis lactis speciebus nullo ne-

negotio præripit palmam. Huic enim remedio a multis jam retro temporibus in omnibus fere morbis chronicis, maxime ab acrimonia oriundis ut ſpecifico antiquiſſimo Medicinæ antiſtitibus Hippocrati, Galeno, Arethæo, Celſo comprobato, nec recentiores, ut Dranifius, Eugalenus, Hoffmanus &c. ſuas laudes denegare poſſunt, ſed ad unum fere omnes candide fatentur, ſola Diæta lactea, vel ſero lactis præſertim herbarum antiſcorbuticarum ſucco permixto, & diutius uſurpato, ſe plus in ſcorbuto ejuſque ſymptomatibus mitigandis præſtitiſſe, quam omnia alia auxiliorum genera. Neque hujus effectus ratio conceptu adeo eſt difficilis. Nam meatus occluſos reſerandi, tenaces humores diſſolvendi, & acres ſalſos contemperandi gaudet facultate, ſimulque blande laxantem edit effectum. Hujus ſeri vires incenduntur vel admixtione herbarum ſucci antiſcorbuticarum, quas ordine recenſet Boerhave Aphor. 1160. l. V. vel fontium medicatorum. Nec minori cum fructu adhiberi poſſet juſculum ex carne vitulina, radicibus aperientibus, cancris fluviatilibus vivis contuſis, ſucco lumbricorum tereſtrium vel millepedum addito. Gingivas illinire aqua quadam diſtillata roborante, ut Salviæ, additum limonum, vel citri ſucco, vel ſpiritu vitrioli, (chalcanthi) auctor eſſem. Hæc ſunt præci-

cipua, quæ mihi de hoc morbo adnotanda, inque illo debellando maxime ſuadenda videntur.

Conſilium D. Joh. Chriſtiani Ungnad. Med. Doct. ejuſdemque in Gymn. Reg. Prof. P. O.

DOleo quam maxime, quod in caſu hujus morbi nitidiſſime delineato nulla plane exſtent documenta vel ſaltem veſtigia, quæ me certiorem facere poſſent, cujus ſcilicet habitus ſit Eminentiſſimus Dominus æger, quo potiſſimum gaudeat (ominor ſanguineo) temperamento. Num item ille quandoque evacuationes Sanguinis ſeu criſes naturales paſſus ſit, vel ob præſentem abundantiam Sanguinis ſeu plethoram artificiales expertus ſit vel neglexerit? an per ingentem calorem ignis, cui proxime præterita hyeme per ſeptem fere menſes immotus quodammodo aſſedit, an alio tempore ſudores largos vel plane nullos excreverit? Animi porro conditio, utrum iracundus, an manſuetus ſit, me latet. Neque mihi conſtat, quali per tam longævam annorum ſeriem uſus fuerit diæta, quæ, ut opinor, non tantum lauta & ευπεπτη, ſed & pro more a plurimis climatis hujus calidi Zonæque exæſtuantis incolis recepto vinoſa, generoſa ac ſpirituoſa fuit, unde ſemper major, quam opus

opus erat, humorum ac ſanguinis copia elaborata fuit. Nec eſt, quod dubitem, me jam de ſucculento, ſanguineo, & plethorico meditari ægro. Convincunt me, & dubitare de hac veritate non ſinunt, maculæ quædam, quæ partim crocei, partim violacei coloris in cruribus, præſertim prope malleolos, nonnunquam comparent. Nonne quotidiana docet experientia, eaſdem & numero longe plures maculas in ataxia Hæmorrhoidum, & Catameniorum ob præſentem ſanguinis abundantiam, erronea licet criſi, efflorefcere? Denique ſuaviſſimum mihi fuiſſet, ſi vel minimam hiſtoriam morborum, quibus Parentes beate defuncti laborarunt, percepiſſem, dum experientia multiplex docet, ejus generis morbos ab una ad alteram ſobolem ut plurimum, quaſi hæreditatis loco, propagari. Omnes interim ac ſingulæ commotiones ſanguinis hujus afflicti, me judice, ad partes exteriores muſculoſas vergunt, fibraſque muſculares ſimulque tendinoſas ſpeciatim tendunt & affligunt, & longiori duratione ut plurimum circumſcribuntur, imo, quod Deus avertat, in rigores, contracturas, vel plane tabidas extenuationes partium pronæ ſunt. Vacat equidem ægrotus præſens prorſus a dolore, quando ſcilicet ille pedibus non inſiſtit. Quando vero hoc ſaltem conari audet, illico præſens eſt dolor lancinans,

te-

terebrans, tensivus & gravativus, qui contracturam musculorum Gastrocnemii, plantaris, solaris &c. & tendinis Achillis, qui maxime ad sublimem gressum & erectum situm corporis humani confert, ut & impotentiam motus calcanei, producit, unde æger ad exiguum tempus quam maxime discruciatur, imo deficit. Omnibus ac singulis recensiti hujus morbi phænomenis a me rite perpensis, & diagnostice consideratis, illum ad dolores arthriticos fixos, quibus alius nomen Podagræ forte tribuet recenseo, eosque sic describo.

Dolores Arthritici sunt motus tonici partium solidarum sive nervorum & tendinum contractorii seu auctiores, propter humores hic & illic stagnantes aut impeditius procedentes, a natura excitati, ut hi mediantibus illis ad has vel illas corporis partes dirigantur & propellantur, & superfluum e corpore eliminetur, facile vero per errorem naturæ in consuetudinem abeuntes. Signa hujus morbi Characteristica sunt.

1. Si dolor tensivus non tantum hunc vel illum artum occupat, sed & impedimentum motus eidem artui infert, atque nonnisi sub conatu movendi evidentius emicat.

2. Dolor hic non semper ejusdem est vigoris, sed vicissim remittit, quin interdum intermittit.

3.

3. Quandoque medios inter dolores levis in ipsa parte affecta assurgit tumor, post quem sæpius dolores evanescunt.

4. Nonnunquam sub levi etiam motitatione membri affecti dolor fit magis lancinans & vibratilis, & velut rupturæ periculum affert, nunquam tamen ab uno membro in alterum transit.

Omnia hæcce signa, ni fallor, satis lucide in morbo & casu ægroti nostri sese manifestant. Quando febris omnibus dictis Symptomatibus se jungit, tunc morbus vocatur Rheumatismus. Nemo autem credat, ossa in hoc morbo tacta dolere; dolent potius musculi, & ,ut rectius dicam, nervi, seu tendines musculis inserti, per quos hi musculi una cum ossibus junguntur, & hæc moventur. Verissimum ergo est, nervos, atque horum extremitates sive tendines in Arthritide doloribus esse obnoxios. Apparet id luce meridiana clarius, cum inflatio, quin laceratio quædam gingivas ægroti nostri pariter invaserit, intacta tamen manente ea unice parte, quæ dentibus vacat, quia scilicet tanta nervorum copia non amplius in hoc loco, ac in aliis præsens, aut saltem debilitata est.

Notissimum est, subtilissimas, & sensus nostros subterfugientes extremitates nervorum, ipsosque tendines originem suam cerebro; at-

que medullæ oblongatæ debere. Quis itaque jure mirabitur, si ille, qui a teneris litteris & studiis indefessus incubuit, & non interrupto ordine per quatuordecim fere lustra profundissimis meditationibus & speculationibus indulsit, cerebrum, seu originem nervorum, simulque eorum extremitates debilitet atque lædat. Turbantur etenim hoc modo variæ se-et excretiones, maxime necessariæ, debilitatur concoctio & digestio, cessat motus corporis sufficiens, non rite peragitur nova elaboratio sanguinis laudabilis, verum ille potius permultis spissis & crassis, imo corruptis atque acribus particulis, nervos hinc inde irritantibus adimpletur, quæ ad generationem & conservationem morbi præsentis maxime faciunt. Licet vero non dubitem, permultos corruptos, salinos, & acres humores in hoc corpore rotari, & millies in gyrum agi; neutiquam tamen nimiam humorum acrimoniam in sanguine hujus ægri existere exinde hariolor, quod bilis in eo haud raro excrementis sit suffusa, cum bilis potius sit humor laudabilis, & pro irritandis & vellicandis intestinis, simulque ejaculandis excrementis quam maxime conducat, imo Clysmatis locum sæpius occupet.

Accingo me tandem ad ipsam medelam hujus morbi, quæ triplici modo, & tempore fie-

fieri debet, scilicet extra Paroxysmum, in Paroxysmo, & sub declinatione dolorum.

Absentibus doloribus præservatorie circa æquinoctia venæ sectio, & scarificationes profundiores circa novilunia in parte affecta, vel ejusdem confiniis instituantur. Usurpentur etiam blandæ primarum viarum per leniora laxantia evacuationes. Motus corporis successivus ad incalescentiam, & lenem sudationem usque continuetur.

Præsentibus doloribus interne temperantia, & æqualem humorum distributionem promoventia, scilicet pulvis Antispasmodicus ter vel quater de die exhibeatur. Præmissis temperantibus subjungi & interponi possunt temperata Alexipharmaca.

Externe spiritus vini Camphoratus vel solus, mediantibus linteis multiplicatis, parti dolenti impositis, ac singulis binis vel ternis horis renovandis, vel etiam cum Emplastro Saponato Barbettæ alternatim applicetur.

In declinatione mali interne Mixtura toniconervina ex Tinctura Salis Tartari, & Spiritu cornu Cervi succinato, externe vero usus formicarum usurpetur.

Serio autem tempore Paroxysmi a venæ sectionis usu abstinendum, quia sic malum pertinacius redditur.

Iis præsertim in subjectis, ubi spes non-

nulla fluxus hæmorrhoidalis ſupereſt, applicatio hirudinum egregium quoque exſerit uſum.

Ante omnia exulent purgantia fortiora, quippe quæ motus ſpaſticos ab exterioribus locis ad interiora vocant, non ſine vitæ diſcrimine. Idem de repellentibus fortioribus eſto judicium.

Motus corporis, quantum fieri poteſt, non penitus negligendus, & licet artus id recuſent, nihilominus corpus ſellæ portatili, vel potius verſatili, rotulis ſuperſtructæ, inſidendum, atque movendum.

Animus vero ſibi relictus, & a gravibus pathematibus liber ſit. Ita ſalvo aliorum judicio ſentit. Palæo Sedini. d. 24. Octob. 1749.

P. S. Perſcrutatus vultum & effigiem Eminentiſſimi noſtri ægri, ante biennium, & quod excurrit, in ætate jam jam ſenili æri elegantiſſime inſculpti, faciem ejus vere humanam & manſuetam, ex qua ſane ingenium maxime perſpicax elucet, non ſatis admirari & jure venerari poſſum. Videor mihi in illa videre mentem arduam & nullo non tempore ad maxima, & maxime ardua intentam.

Externus autem habitus hujus corporis me quoque certiorem facit, ejus ambitum non eſſe adeo macilentum, ſed potius ſatis am-

amplum, gravem, ac formosum, & in eodem non adeo exiguam sanguinis, atque succorum copiam reperiri, verum potius illud omni jure ad statum succulentum atque Plethoricum esse accensendum.

ERFORT.

Lettera del P. D. Andrea Gordon dell' Ord. di S. Bened. P. P.

Vostra Eminenza mi fa la grazia di mostrare compassione meco per esser stato ammalato. Che cosa farei io per la preziosissima salute di Vostra Eminenza? Con dovuto rispetto l' assicuro, ch' io faccio tutto il mio possibile. Io prego Iddio ogni giorno di conservare nella sua Persona Eminentissima il sole de' Benedettini, ed un vero lume della Santa Chiesa. Ho anche domandato consiglio da' dottissimi e sperimentatissimi Medici, e due di loro hanno dato la risposta scritta qui annessa: ma troppo tardi per il mio desiderio.

Jeri sera ricevei il Tomo 3.° della mia medicina, per il quale rendo infinite grazie a Vostra Eminenza; ma la pigliarò questa volta per preservativo, perchè mi sarebbe impossibile d' aver pazienza fin a esser malato.

Ho letta la lettera al Signor Formei con massimo diletto vedendo la prontezza incomparabile che Vostra Eminenza mostra per la guerra

letterata. L' istessa fa speranza certa della vittoria &c.

Consilium D. Joh. Christoph. Riedel Phil. ac Med. Doct. Prof. P. Ordinar.

PRopositus ac communicatus casus, id habet argumenti. Elabitur nimirum quintus jam mensis, ex quo lectulo infirmum affigit dura compes, extremam crurum ita devinciens partem, ut iisdem insistere omnino prohibeatur, & contra conari si velit, discrutietur, imo deficiat. Comparent præterea in cruribus, partim crocei, partim violacei coloris maculæ, præsertim prope malleolos, atque in hisce tumor etiam levis assurgit. Gingivas pariter invasit, primo tamen dumtaxat & altero decubitus mense, inflatio, quin laceratio quædam, intacta manente ea unice parte, quæ dentibus vacat. In præsens, a tribus hebdomadis, musculus, tendo, & nervus calcaneo adhærentes, inprimis tentantur, atque adeo obduruerunt, ut absque spasmate fas ipsi non sit, pedem ad calcandum solum extra lectulum ponere. Sibi persuadet, ut vitia hujusmodi ex sanguinis acore, sive acrimonia proficiscantur, cujus apertum indicium sit, bilis haud raro excrementis suffusa, tantique non sit, quin valetudinis integritati officiant, eo

eo quod bene valet caput, bene pectus, bene ſtomachus, nulla unquam acceſſit febris, prorſus a dolore vacat, vultui color ſincerus ineſt, demum, hoc maxime tempore, ceu omnino ſanus dormit & comedit, litterariis vero occupationibus, aliiſque muneribus ita horis omnibus alacriter & vegete ſe dedit, ut omnes agnoſcant & fateantur, ſe nunquam magis negotioſum fuiſſe, quam poſtquam ægroti ſpeciem præbens, cubilis quieti, & otio ſe tradiderit.

Hinc intra illos quinque menſes, alterum Commentariorum abſolvit Tomum, tertiuſque quam cito ad umbilicum & ipſe perducetur. Certo pariter ſcit, quod falſus utique ſit, calorem cauſando ſeu ignis, cui proxime præterita hyeme per ſeptem fere menſes, immotus quodammodo aſſedit, ſeu pellis urſinæ, quæ dum calefieret ad eundem, una ſimul pedes involvebat; nam morbi pertinacia, errorem iſtum modo condemnat, divinam præterea agnoſcens benignitatem, quod neque tædium, neque dolor iſti conjunctum ſit morbo, præſertim cum condita jam ſit ſeptuageſima meſſis.

Conſiliis ex ægrotationis indole, natura & conditione ſuſcepturis ac capturis nobis, neceſſum duxi, circa adfectæ partis fabricam ac ſtructuram, breviſſimis ac ſummatim ſolummodo, quædam præmittere atque expo-

nere, citra enim eſt controverſiam, quod quicquid eſt morborum cauſæ ac ſanationis, id innitatur ſtatus naturalis cognitione atque intelligentia. In extrema crurum parte, maxime circa malleolos, deprehenduntur ſolummodo tendines muſculorum flexorum, extenſorum, abductoris, atque adductoris, pariterque vaſa & nervi, tendoque calcaneo, parte poſteriori adhærens, de quo infirmus conqueritur, tendinibus muſculorum gaſtrocnemii ſ. gemelli, ſolei, & aliquando plantaris, ſuram conſtituentium, compoſitus deprehenditur, nomenque chordæ Achillis conſequutus, atque adeptus eſt.

Ne diſcederent tendines a præfinita linea ac directione, cautum eſt, adpoſitis ad iſtam partem armillis valentibus, tendineis, aponeuroſicis, ſub quibus modo tacti, tranſmiſſi continentur tendines, ne unquam exſiliant. Imo vero in adfecta parte non communes ſolum deprehenduntur armillæ, ſed cuivis præterea tendini, proprium a quo coercetur ligamentum, circumnaſcitur & circumfunditur. Nullus eſt, nec muſculus nec tendo, qui ita vicinum quemcunque contingat muſculum vel tendinem, quin idem cingatur membrana quadam celluloſa. Imo vero ne unius quidem muſculi duæ ullibi deprehenduntur fibræ, nullusque unquam reperitur ten-

tendo, qui accepta a musculi carne membrana pingui & lubrica, non vestiatur, ad eam sedem usque ubi in os ipsum se inmittit. Tunica vero ista cellulosa innumeris constat folliculis, loculis, ac vesiculis, non clausis, sed in vicinas suique similes varie patentibus, inter se communicantibus, omnemque sedem ubi vel acre aliquod habitat, vel partes supra se invicem adteruntur aut confricantnr, investit ac circumplectitur, pariterque vasa & nervos in omni corpore humano perpetuo sequitur. In quibusdam corporis partibus crassissima est, & adiposa audit, tenujor vero & macilenta alias ambit, & tunicæ cellulosæ nomine donata est ab Anatomicis. Modo tactæ jamjam cellulosæ telæ, ingens, longeque numerosa, circa malleolos, reperitur quantitas, longeque major, ac largior maxime circa chordam Achillis deprehenditur, usque adeo, quo $1\frac{1}{2}$ pollicis crassitie sæpe numero ibidem conspicere mihi licuerit.

Circa omnes similiter tendines, in ipsis eorundem vaginis, ibidemque reperiunda tenerrima cellulosa tela, aquosus quidam, lubricus, pinguis, mucosus, & mitis deprehenditur liquor, albuminis ovorum sive articulationum unguinis similitudinem ac speciem gerens.

Uti-

Utilitates corpori humano tela æque jam jam tacta cellulosa, ac mucosus & pinguedinosus liquor, lubrico oleo partes inungens, præstat insignes ac quamplurimas. Non modo enim attritum molliunt & leniunt, faciunt quin fibræ sint flexiles, facileque dilatationem, contractionem, atque abbreviationem patiantur, motumque earundem adjuvant, verum quoque cavent, ne musculi ac tendines exsiccentur, & cum membranis, vaginis, aliisque vicinis connascantur, ac concrescant partibus. Si labes iisdem inferatur cellulis, eædemque vitientur aut destruantur, sive circa musculum sive tendinem, quacunque demum id contigerit fieri ratione, certissima sequitur ejusdem partis immobilitas, & musculus, aut ipse tendo, cum vicinis partibus, ossibus nimirum, musculis, cute &c., per experientiam, immedicabiliter concrescit. Soli enim huic cellulosæ debetur telæ, quod fibra supra fibram mobilis sit, & ista adulterata aut destructa, artus rigent, & de mobilitate membri actum est.

Præter hæc vero, ipsa adfectarum, maximeque tendinosarum, partium oscescentia, qua nimirum osseam induunt naturam, modo dicta concitatur ac consurgit ratione. Non modo enim, vasa primo immeabilia, deindeque omnino nulla fiunt, inter se æque, ac cum vaginis, aliisque viciniis coalescunt,

&

& concrescunt partibus, adfectaque pars fit immobilis, verum ipse in cellulas effusus succus, lympha nimirum viscida, glutinosa, minusque meabilis, testibus observationibus anatomicis Cel. de Haller. in Programmate de hac materia conscripto, Budæ in Misc. Berolinens. Tom. V. aliorumque, induratur & per gradus ossescit, nodique tophacei arthriticorum, & podagricorum ejusdem plane sunt generis ac naturæ, ipsamque eandem agnoscunt causam, fontem, ac rationem. Ne dicamus, quod ipsa hac adfectæ partis oscescentia, in longævis frequens sit malum atque incommodum. Sic v. gr. Veslingius in epist. posth. tendines cruris, tarsi & pedis, in homine ætate gravi vidit osseos. Quando itaque, jamjam septuagesima condita est messis, incommodum isthud ætati affine, si motus adfectarum partium in posterum omittatur, ex facile accedere poterit, maxime quod per quinque jamjam menses lectulo affixus est pedibus infirmus, constat enim, quod plane deficiens artuum motus, immobilitatem iisdem conciliet atque adducat, & visi sunt homines, qui facta cubiti fractura, omnem plane, ad naturam rei aptum atque adcommodatum motum omittentes, quo nimirum eodem, perpetuo artus suspenderetur situ, facta sanatione invenerunt, quod totum brachium sit immobile. Nervosæ enim partes,

ſi nimis diu non expandantur, nimium in partibus ſolidis acquirunt firmamentum, uſque adeo, quo poſtmodum, ſpirituum vi non obediant, certiſſimaque artus ſequatur immobilitas.

Præſens ægrotatio eſt congeſtio lymphæ viſcidæ, ad celluloſam modo laudatam, tendines cruris cingentem ac veſtientem, telam & membranam. Deponitur nimirum tenax, minuſqe mobilis lympha, ex arteriis in laterales hoſce folliculos, tarda vero ejuſdem eſt circulatio, eo quod fluida viſcida, niſi muſculorum tendinumque ſubſidio & motu, incitantur atque urgentur, motum acceptum, maxime in cellulis & folliculis, eaque corporis ſede, quæ a corde maxime eſt remota, contenta ac complexa, difficulter continuant. Quando vero eadem perpetuo per arterias advehitur, motuſque harum fortior eſt reſiſtentia cellularum, per venas vero lymphaticas ſatis expedite nec redit ac reducitur ad ſanguinem ſupereſt, ut lento ibidem colligatur decubitu, aggeratur, in laxoſque & teneros hoſce folliculos effuſa ſtagnet, prætereaque in vaſis minimis arterioſo lymphaticis, pellucida Boerhavio dicta, excitetur atque accedat inflammatio.

Si itaque in nimiam celluloſa iſta fabrica excrevit molem, neque tamen circumpoſitæ, iſtamque coercentes tendineæ, atque aponeuro-

roticæ armillæ cedunt, contra vero tumoris, per 5. menses duraturi, expulsioni ac prominentiæ, impedimento fuerunt, patebit, unde in adflicta parte durities, tensio, duraque compes.

Insignem similiter jamjam adductam, excipiunt congestionem, oppletionem atque accumulationem, adflictæ partis debilitatio, segnities ad motum, telæque cellulosæ successura, timendaque demum concretio & coalitio cum tendinibus, vaginis, ossibus, cute &c. quo facto, tendines in vaginis supraque partes vicinas, mobiles amplius non sunt, minusque sufficiunt pro artubus, ope articulorum gubernandis, atrahendisque, ac movendis ossibus.

Præterea tendinosæ partes, vasa ac nervi, in exile comprimuntur spatium, motusque fluidorum, pro ratione qua cellularum crescit atque adauctatur moles, probibetur atque intercipitur, unde fit, quin motus non modo a consuetuo aberrent vigore, verum pariter si adflicti agitentur, aut moveantur artus, tensiva ac gravativa infirmus persentiscat ac percipiat incommoda, spastici excitentur dolores, acerbissimique iidem ad continuandum increscant motum. Ex iisdem enim compressoriis pathematibus, irregularis liquidi nervei, non invita peti atque exponi poterit Minerva, influxus ac circulus, de-

debite nimirum atque æqualiter eodem non distributo, illico atque actutum nisus ad spasticas generatur & concitatur stricturas, unave irritata aut spasmodice contracta fibra nervea, obediunt vicinæ, in similemque abripiuntur motum spasticum atque irregularem. Nam in physiologicis demonstratur, posse motum amplificari atque augeri, diminutis viribus moventibus, si v. gr. paralyticus fiat vel resecetur antagonista, aut alia ratione, irregularis accedat liquidi nervei influxus. Neque enim necessum est, tametsi in vulgus necessarium æstimetur, in spasmodicis stricturis ac motionibus, ut adaucta vel multiplicata sit vis musculorum, qui motus eosdem intensiores, fortiores ac validiores perficiunt, sed sufficit, ut vires inæqualiter applicentur, inde in maximo virium lapsu, defectu ac fatiscentia, imo vero moribundis ipsis spastici & convulsivi motus, naturæ dissolutionem atque excessum e vita solent præire, quas ultimæ necessitati sive morti attribuunt.

Sanationis ac curationis præcipuum, sequentibus nititur indicationibus.

I. Lympha viscida in tela cellulosa restagnans, partes comprimens, in motum est cienda, resolvenda, dividenda, post idque factum, eliminanda.

II. Partes sunt roborandæ, fluidisque æqua-

æqualis conciliandus & conſervandus eſt circulus.

Primaria itaque indicatio, morbi eſſentiale, curæque caput & ſummam concernens, ac reſpiciens, eſt, lymphæ viſcidæ plus juſto cohærentis, reſolutio, diviſio, atque eliminatio. Tametſi enim negaturus non ſim, quin ſalia omnino viſcedini ſint immerſa atque involuta, jam nunc tamen a viſcido figuntur ac temperantur, indubitate enim alias', moleſti graveſque dolores, jamdudum, ſimiliter extra motus molimentum, comites acceſſiſſent, maxime quod per quinque jamjam menſes ægrotatio perſeveravit ac perſtitit. Satisfit eædem indicationi, uſu ſalium mediorum, præſertim Tartari vitriolati methodo Tacheniana præparati, (maxime ſi ad naturam accedat alcalicam, ſive ſal alcalicum obtineat principatum) cum ſale ammoniaco depurato commixti, ac maritati, doſique refracta addito Zinnabari Antimonii. Salia enim media generatim, maximeque ad ſtatum accedentia alcalicum, volatilibus, & Zinnabarinis maritata, viſcidam optime dividunt, atque ad ſe-ac excretionem præparant lympham, ſimiliterque eaſdem reſtituunt, adjuvant, atque adaugent, abſque eo quod præternaturalem adferant atque adducant calorem, minimum rariſſime, ob ſtatum enim viſcidum, fluidique nervei, inde ex parte

te decrescentem, atque imminutam secretionem resolutio hac ratione cohibetur, atque impeditur, eademque abunde, atque adfatim a viscido temperatur & moderatur.

Insigni similiter emolumento, arcanum Tartari rite præparatum, adhiberi ac propinari poterit, similiterque infusa & decocta ex radice Pimpinellæ albæ, Cichorii, Scorzoneræ, Bardanæ, Liquiritiæ, Herbis Fumariæ, Cardui benedicti, Salviæ, Floribus Arnicæ, Chamomillæ Romanæ, Semine Fœniculi, Cortice Citri. Satisfactam resolutionem ac divisionem, ingravescentia innuunt Symtomata, ob viscidi enim resolutionem magis expanditur ac distenditur tela cellulosa, salia viscido immersa liberantur, adeoque irritando ac stimulando, augent, amplioraque reddunt Symtomata, divisæ viscidiores partes, minimorum vasorum, affectæ æque partis, ac totius corporis penetrant oscula, in iisdem vero ob præternaturalem quandam adhuc præsentem cohæsionem subsistunt, eadem obstruunt, atque extendunt. Præparata itaque viscidi copia, subjungendum erit remedium laxans securum, ac salutare, quodcunque acceptum ac placens sit.

Contingit quandoque, ut laxans exhibitum, non satis ad alvum sequacem reddendum præstet stimuli, ob præternaturalem nimirum, nimiamque fluidorum cohæsionem,

ſionem, factamque minus ſufficientem eorundem reſolutionem, aut admiſſos errores, ad fluendum ſatis præparata & apta non ſunt: re itaque in hunc locum deducta, laxantis remedii dimidiam, tertiam, aut quartam doſeos partem, pro conditione virium ac circumſtantiarum, poſt 10. vel 12. horarum decurſum deglutiendam eſſe, nullus dubito, pergendo ſimul pulverum ſalinorum mediorum uſu. Alvo vero ſat ſoluto & liquato, viſcidoque exterminato, ſi calor præternaturalis inopinato accedat, ſalis Ammoniaci ſuperſedendum erit uſu, unaque temperantia, nitroſa maxime & abſorbentia, jungenda atque exhibenda erunt, quæ, ſi morbi ita comparata ſit conditio, abunde ſe probant, ſuntque remedio. Propoſita ceteroquin methodo, ex mea ſententia continuari poterit (quo nimirum reſidua viſcidi copia reſolvatur, atque ad ſe & excretiones apta reddatur, poſt idque factum eliminetur atque exterminetur) uſque eo, quo, malum, in ſubjectis ætate confectis ſæpenumero contumax ac refractarium, plane atque omnino ſit depulſum ac remotum.

Secunda indicatio adflictarum partium reſpicit robur ac firmamentum, pariterque circulum fluidorum æqualem ac vegetum reſtaurandum & conſervandum. Morbo itaque proſpero ſeneſcente eventu, vel ſupera-

to, imo vero eodem urgente, ad vires confirmandas, ac se-ac excretiones promovendas, essentia Succini cum tinctura Antimonii tartarisata, anatica miscenda proportione, vel Balsamum vitæ Friderici Hoffmanni ordinari, ac propinari, pariterque ope specierum, antea pro infuso aut decocto commendatarum, vinum medicatum parari, & sub prandio insigni emolumento exhiberi poterit.

Exoptatum similiter effectum præstant adfectarum partium frictiones, maxime si arena tepefacta adhibeatur, neutiquam vero calefacta, ne ad alias impetuose propellatur partes humor stagnans. Non modo enim fluida viscida collecta, ista ratione agitantur, motuque cientur, verum similiter resolvuntur, circulus liberior naturalis iisdem restituitur, amissusque facilius remigrat tonus ac robur. Spirituosa vero roborantia, balsamica, tametsi præstantia, efficacia, atque optima, pro usu externo plane, atque omnino dissuasurus sum; nimis certum enim est experimentum, quod, aucto & restaurato ista ratione partium adflictarum tono ac robore, eædem se constringant & coarctent, lymphamque stagnantem ad partes sæpe numero nobiliores, internasque repellant ac reprimant, quas veneni instar offendit usque adeo, quo maximum rerum compluscule discrimen, ita advocetur atque adducatur.

De-

Demum, ut laborantes pedes, post aliquantum temporis, quantum fieri potest, motu prudenter exerceantur & oportet, & opus est. Musculorum enim & tendinum actione, solvitur ac propellitur stagnans lympha, viscidaque eadem sanguini miscibilis, aptaque redditur, quo per loca se-& excretoria corporis, rejici atque exterminari queat, ac possit, oscescentia, coalitio ac concretio vicinis cum partibus prævertitur ac præcavetur, tonusque similiter, harumque partium robur ac firmamentum, multo facilius facit reversionem. Sic si v.gr. alternis iisdem, ab initio solummodo insistatur, laborique quotidie aliquid addatur, brevi mobiles ad motum sufficient, & non minima iisdem emetiri poterunt spatia.

Abundantia sanguinis si adsit, istam venæ sectione in brachio celebranda, deplendam atque imminuendam curabit medicus. Ob plethoram nimirum sanguinis motus perturbatus ac præclusus est; corrigitur itaque atque emendatur sanguinis missione, eo quod nimia sanguinis ac lymphæ in vasa actio ita infringitur, atque impeditur, modum excedens eorundem minuitur, ac decrescit vasorum distensio, adgravatio, ac dilatatio, factaque jamjam humorum vitiosorum circumscribitur congestio, coagmentatio, ac conspissatio. Præterea vero, ob minutam vasorum distensionem, spasmodicæ relaxantur constrictiones, vasaque ob au-

ctum elaterem, restitutamque eorundem actionem in fluida, promptius ac validius contenta propulsant ac propellunt, magis expedita ac libera itaque fit humorum circumductio, inde eorum ventilatio, attinuatio, partium stagnantium propulsio, demumque se-ac excretionum levamentum ac promotio.

Crocei ac violacei coloris maculæ in cruribus, maximeque circa malleolos, excitatæ atque emissæ, pariterque gingivarum inflatio ac laceratio quædam, ita generantur & producuntur: lymphaticus nimirum stagnans & viscosus humor contrahendæ fermentationi, ac corruptioni dedit locum, evoluta itaque, atque a vinculis (per viscidi reclusionem genita) liberata salia, ad cutem aliasque corporis propulsantur partes, dictaque excitant & producunt incommoda. Ex mea sententia essentia Myrrhæ balsamica, sive absque alcali parata, vel sola, vel cum essentia Balsami Peruviani vel Succini refracta, permixta, ac temperata dosi, externe applicata, omnem, si saluti infirmi interne rite prospiciatur, fomesque ac fons mali recedat, adimplebit indicationem; sponte enim ita evanescent, ac secedent, fortunaque adflicta & perdita omnis optime præcavebitur, & providebitur, cum contra, si unguinosis, digestivis, acribus &c. externa tentetur cura, usus reapse experiundo docuit ac detexit, quin malum mirandum in modum amplificetur atque au-

augeatur, imo vero perniciosum atque exitiale reddatur.

Quare vero bene valet caput, pectus, stomachus, nulla unquam accessit febris? Hoc referri debet ad certam minimeque dubiam versus crurum extrema & malleolos factam congestionem & coagmentationem, vitiata enim ac viscosa omnis ibidem deponitur lympha, dum vero copiosior ad loca ruit distensa & stimulata, ab aliis avertitur partibus; versus adflictas itaque solummodo determinatur, derivatur, atque intenditur usque eo, quo numerosiores minusque mobiles admissæ partes in plenariam demum degenerent corruptionem, vasaque superonerata perrumpantur, atque omnino destruantur.

Diæta, sive bene compositus vivendi modus, in hisce præterea necessitatibus maximi momenti res est. Ob viscidi enim resolutionem atque evacuationem insignis ciborum invitatur appetentia, maximaque exoritur ejusdem aviditas; cum vero morbi conditio, maxime quod motus corporis deest, istiusmodi sit, qua non modo concoctu difficilia, fumo indurata, pisces, acida, idemque pinguia, e farina triticea parata &c. inimica ac nocitura sint, verum tantum tantummodo optimi sanissimique pariter cibi & potionis, maximeque ejusdem, in quo plurimum alimenti est, adhibendi permittat, quo reficiantur vires, corpusque quantum

opus, ſuſtentetur ac nutriatur, minus vero cupiditatis cauſa comedatur vel corpus obruatur, animus ac genius quotidie non modo erit defraudandus, ſed incœnato ſimiliter quieti ac ſomno ſe dandum ac dormiendum eſt; vis enim hujus ægrotationis pauco tenuique maxime debilitatur & domatur victu, eo quod novum, nullaque alia ratione declinandum aut evitandum, viſcidi ita impeditur incrementum, pariterque remediorum non minuitur efficacia ac virtus, aliaſque eadem, vel extincta ac ſublata, certo certius redit, infirmuſque ab univerſa ejuſdem nequaquam, imo vero nunquam liberabitur ac relevabitur poteſtate. Quam ob rationem, iſtiuſmodi vitæ genus, tametſi multum a communi deducat inſtituto, inſigniter & maximopere ſuaſurus ac commendaturus ſum. Erfurthi d. 22. Januar. 1750.

Conſilium D. H. Ludolf.
Med. Doct.

MOrbus deſcriptus plane inter iſtam novorum morborum ſpeciem, quæ ab anno 1740. ægrotos æque ac Medicos vexare conſuevit, referendus modo arthritidem ſubeſſe putarunt, modo rheumatiſmum, ſed cura ex voto minime ſuccedens errorem aperuit. Symptomata, & exitus hujus morb
pla-

plane alium morbum indicant. In artritide dolore quiescentibus etiam membris afficiuntur. In rheumatismo dolorem quidem non nisi in motu sentiunt, sed ægroti post aliquot tempus solo calore temperato in integrum restituuntur. Hoc autem malum in principio tumorem, in fine vero, si nempe debitis remediis specificis non tractatur, contabescentiam & torporem membri affecti relinquit; quod mihi ansam præbuit concludere, aponeuroses tendines & ligamenta a materia peccante obstructa esse. Causa materialis hujus mali est sanguis acris biliosus. Occasionalis autem subitaneæ mutationes caloris & frigoris, præprimis si quis sudans in frigus se confert, tunc enim prævio calore serum acre biliosum tendines, ligamenta, & nervos permeare cæpit, ob frigus autem admissum stagnat, & quia vasa existunt subtilissima, nonnisi longo temporis intervallo, optimis licet adhibitis remediis, stasis hæc expediri potest, neglectis autem istis, partes has nobilissimas plane obstruit & corrugat. Ægrotus de quo hic agitur levissimo huius mali gradu correptus est, ordinarie enim febris latet, inquieti sunt, carent somno & fastidiunt cibos; interim non est quod miremur, illum longo jam tempore isto morbo in lecto detineri. Generalem quidem methodum tales morbos curandi medici omnes sciunt, nempe per diaphoresin

& alvi repetitas depositiones. Specialem autem, quibus remediis hoc obtinendum, quod nesciant, ægroti maximo cum detrimento experiuntur. Diaphoreticis enim ordinariis adhibitis materia hæc acris biliosa rarefactionem & summam virium prostrationem efficit, corpusque maxima fibrarum siccitate afficitur, purgantibus autem resinosis serum blandum evacuatur, talique modo corpus optimo adhuc auxilio privatur. Mihi vero cura ex voto semper sequenti modo successit. Primo die mane hor. VII. & hora III. pomerid. propinavi guttas XL. sequ. Mixturæ.

℞. Tinct. Bezoard. Wedel. Essent. Trifol. fibrin. aā drac. II. Hor. IX. ante m. & hor. IX. vespert. scrup. unum pulveris sequentis. ℞. Arcan. duplic. Nitr. depur. aā drac. II. Materiæ perlatæ, Cinnab. ppt. aā drac. I. Altero die ordinavi mane dracmas duas salis mirabilis Glauberi, & vesperi scrup. unum pulveris laudati. Tertio die ut primo, & quarto ut secundo procedendum, & sic porro. Hisce internis malum hoc certo, & secure tollitur. Dolendum autem, quod Medicos pariter, ac Pharmacopœos in preparatione medicamentorum legitima parum admodum sollicitos deprehendamus, ut plurimum enim nomen tantum, minime vero medicamenta ipsa possident. Hinc in defectu, ℞. Bez. Wed. & Essent. Trif. fibr. parari potest decoctum seq. ℞. Rad. aristol. long. & crass.

unc.

unc. II. Herb. Trif. fibr. m. II. Rhab. orient. unc. ʃ. Cremor. tart. unc. I. cc. m. coquatur manip.unus in II.lib. aquæ ſimpl. de quo mane hora VII. & hor.III. pomer. hauſtus ad unc.II. ſumendus. Loco ſalis mirabilis Glauberi, in uſum vocari poteſt ſal Epſon, itemque ſal Seignelte de Rochelle. Inter externa præcipuum locum occupant veſicatoria ſanis in membris applicata, itemque linteamina calida camphora fricta, & loco affecto impoſita ſtaſin hanc expediunt. Ægrotus in loco temperato maneat, omniaque acida viſcida abhorreat. Venæ ſectiones conſuetæ non negligendæ.

PARISIIS.

Conſilium D. de Pouſſe Med. Doct.

Viri celeberrimi Domini de Boze Numiſmatum Regis Galliarum Cimeliarchæ, aliquatenus, & quantum penes me poſtulationi ſatisfacturus de morbo, cujus deſcriptionem typis mandatam ipſe tradidit, autumo, hunc morbum mere externum, & accidentalem a partium affectarum nimia, aut diuturniore calefactione exortum. Calor enim diutius cuilibet parti admotus non ſolum quidquid volatile, aut fluidum per evaporationem abſumit, ſed & partes ſolidas indurat, & conſtringit. Hinc arteriæ, venæ, vaſa lymphatica, glandulæ areſcunt, flaceſcuntque. Nullus ideo

ideo aut parcior ad partes advehitur ſuccus, & ſiquis, aut alius liquor ad eas pervenire valet, inibi ſtagnat, & pro ſtagnatione ſpiſceſcit, unde partium intumeſcentia, philogoſis cutis, pro humorum indole, coloris diverſitas. Muſculi, tendines, membranæ, ipſimet nervi proprio alibili ſucco defraudata rigeſcunt; ſynovia, olei inſtar, articulis obliniendis, & lubrificandis ad motus exequendos deſtinata, ſpiſceſcit, & concreſcit, ita ut ne dum motibus articulorum exequendis ſit idonea, illis imo penitus obſit.

Ex ea ætiologia primo intuitu innoteſcit natura, & origo morbi, & quænam ſint ad debellandum morbum adhibenda remedia. Ea vero tentare decet, quæ tonum, & flexilitatem partium reſtituere valent, & imprimis balneum, in quo emolientia, uti folia Altheæ, Malvæ, Verbaſci, & alia ejus virtutis fuerunt decocta.

Bis in diem, primo nempe mane poſt ſomnum, pedes, & crura in balneo tepido per unam, aut alteram horam immergat, identidem novum decoctum tepidum renovando, cum balneum refrigeſcit. Simili balneo veſperetribus horis a cœna utatur eadem cautione, ut minori temporis ſpatio partes mollitiem, & flexilitatem recuperent.

Illico poſt ſingulum balneum, pedes, & crura, prius Anguillæ fluviatilis illita pinguedine

dine, cataplasmate pulpa supra recensitarum herbarum emolientium confecto, pedes, inquam, & crura obvolvantur, cui, ut hujus major sit emoliendi virtus, eadem Anguillæ admisceatur pinguedo, ea cautione, ut refrigeratum cataplasma mox amoveatur, & sufficiatur novum.

Quamvis morbus sit externus, & accidentalis, attamen remedia interna sumere non erit omnino frustraneum ad fluidorum universi corporis præcavendam concretionem. In eum finem ægrotans post balneum assumet opiatam sequentem, post admotum cataplasma. ℞. Cinnab. nat. gr. XII. Extract. Enulæ camp. gr. IV. Pulver. Milleped. gr. XII. Diaph. mineral. scrup. I. Cum Syrupo Absynt. fiat opiata in duas doses dividenda. Assumpta opiata, mox tum mane, tum sero jusculum herbis, seu oleribus emolientibus, uti Cicorio, Cerefol. & aliis similibus alteratum assumat.

Victus ratio ea sit, ut salsis, piperatis abstineat, alimentis simplicioribus, & maxime aquosis & emoll. vescatur, & pro potu seu in comedendo, seu inter prandium, & cœnam ebibat decoctum radicis Chinæ; quod si a vino nequeat abstinere in comedendo, idem decoctum vino admiscendum.

Verum ut de cutis macularum causa nihil dicendum supersit, quæ scorbuti signa, & effectus possent haberi, hanc opinionem facile

re

refellet,qui noverit ſigna,& ſymptomata, quæ in ſcorbuticis apparent, ſymptomatis, & ſignis, quæ in ægrotante obſervantur eſſe omnino contraria.

In ſcorbuticis corporis univerſi doloris expers ignavia, maculæ plumbaceæ, aut lividæ, gingivarum lividitas, & intumeſcentia cum ſanguinis viſcidi, & nigri excretione, dentium vacillatio, halitus teterrimus, febris lenta, hectica cum pulſu debili, & exiguo, quorum neque ſymptomatum, neque ſignorum ullum in ægrotante obſervatur; imo, præter crurum motus, omnino ſit vitæ integer. Præterea ille qui in regionibus ſeptentrionalibus tanquam Endemicus morbus graſſatur, raro in meridionalibus obſervatur. Verumtamen, cum aliquando ſenes maxime ſedentarios ſcorbutus afficiat, itaque modo in ægrotante ſigna, & ſymptomata ſuperius enarrata in poſterum appareant, horum cauſam penitus tollere medicamentorum inferius recenſendorum ope non arduum.

Hæc vero medicamenta ſint juſcula ſequenti modo parata, & compoſita. ℞. Carnis Vitulinæ lib. I. Raphan. ruſticani loti, raſi & in talleolas conciſi unc. ſ. coq. in aq. fluvial. lib. 2 $\frac{1}{2}$ ad conſumpt. 3.ª partis. Sub finem adde fol. Naſtr. aquat. Oxytryphylli, Cochlear. Trifol. fibr. aā m. ſ. Fumar. Abſinth. rom. aā pug. 2. poſt quinque aut ſex minutos ollam ab

ab igne remove, & juſculo refrigerato herbas deprome; dein juſculi tum carnis vitulinæ, tum raphani fiat cum valida expreſſione colaturaque, in duas doſes dividendi, quarum unam jejuno ventriculo, alteram quatuor horis a prandio quotidie aſſumet æger, nec ab hoc juſculo abſtineat, donec ſigna, & ſymptomata evaneſcant. Ceterum vinum & generoſum inter comedendum bibat; cibiſque euchymis, uti carne bubula & vervecina, aſſa potius quam elixa, veſcatur; denique poſt morbi curationem per aliquot menſes mane, & ſero pro primo, & ultimo nutrimento lac vaccinum aut recens mulſum, aut balneomariæ tepefactum capiat.

Pariſiis d. 25. Nov. 1749.

FINIS.

INDEX
EPISTOLARUM ET CONSILIORUM
Quæ in hoc Libello continentur.

STE-